TEXTUS LATINUS

ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS

Arnaud de Bonneval

DE OPERIBUS SEX DIERUM

Hexaemeron

PATROLOGIA LATINA

Tomus CLXXXIX | Columnae 1515-1570

Ex editione J.-P. Migne, 1854

INCIPIT TRACTATUS
DE OPERIBUS SEX DIERUM.

Omnium quæ sunt, moventur et vivunt, unum principium Deus, in coæterna sibi sapientia dictavit et fundavit originem. Et quasi magni corporis membra, rerum naturas, distinguens propria loca, et nomina, congruas mensuras et officia assignavit. Nihil apud Deum confusum, nihil informe in illa antiquitate fuit, quia rerum materia, ubi facta est, statim in congruas sibi species est formata. Quidquid de mundi æternitate, quidquid de hyle, vel ideis, vel de illa mundi animâ, quam noym dicunt, sensere philosophi, plura inducentes principia, primum Geneseos capitulum abolet et confundit, unum præfigens omnis creaturæ principium, scilicet Deum, in quo non est aliud providentia, vel sapientia, ratio, vel ordo, vita, forma, vel materia quam ipse, qui in Verbo suo, quod est æterni secreti manifestatio, quod dicit facit, et quod illuminat format. Neque solitudinem, vel paupertatem ante mundi constitutionem suspiceris in illo, neque arbitreris ex subjectione vel obsequio conditorum potentatui ejus vel gloriæ aliquid accrevisse. Nunquam est sola Trinitas, nunquam egens divinitas, non deesse præsens, non ignorare sapiens, non infirmari potest Omnipotens. Non senescit æternitas, non mutatur veritas, nunquam excidit charitas, non rumpitur solidum, non dividitur unum, nihil deest ad perfectum, non crescit totum, non minuitur universum. Sicut erat et erit, ita est, licet erat et erit in eo dicantur improprie, quoniam solum ei præsens est, cui nihil vel accedit, vel præterit. Omnium igitur quæ sunt sola causa est bonitas, non necessitas; et participatio gloriæ rationali creaturæ ita collata est, ut, licet de plenitudine illa hauriat, non tamen sit ejus pars, cui conformata, secundum aliquem modum, patrissans participat. Inconveniens omnino et nimis absurdum est credere globum mundi informem et artificem simul ab æterno fuisse, et massam illam seorsum positam nullis usibus deservisse, quasi eam Deus vel non potuerit vel non voluerit distinguere et formare, cum omnino in Deo idem est et velle, et posse et facere. Sane voluntas et potentia, et effectus in illa rerum constructione sese indivisibiliter comitata sunt, *quoniam dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Æternum quidem de tam magnifico opere in sapientia ejus fuit consilium, sed initium temporale nequaquam confusione illa quæ chaos dicitur latuit involutum, nec omnipotentiam vel sapientiam, vel benignitatem Conditoris materiam factam languore [decuit] opprimere, vel dilationibus sæculaA ribus negligere tantæ excellentiæ fundamenta, cum dilatio corporis inchoati nihil sibi, nihil creaturæ conferret, quia in imperfectione operis sui nulla esset gloria Conditori; neque ipsa creatura insensibilis et inanimata vel defectum in hoc vel profectum haberet, cui sine aliquo sui damno illa informitas vel inutilitas esset: unde constat aptata rerum primordia, *verbo Dei*, sicut ait Apostolus, *ut de invisibilibus visibilia fierent* (*Hebr.* XI), et placeret sub distinctionibus et formis universitatis implexio indissolubili connexione in illa mente divina, ab æterno astricta. Aperta est janua, et egressa est de illa antiqua arca testamenti multitudo innumerabilis visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, et jam cœpit locus esse et tempus, quoniam B secundum suum modum omnia circumscriptioni obnoxia sunt, præter illam solam naturam, quæ præcedit et excedit omnia, et intra se universa concludit. Circa illam ineffabilem et immensurabilem magnitudinem vane cogitat homo loca vel tempora, omnino minor est auctore universitas, et quidquid temporale est, ad instar puncti, intra se concludit æternitas. Complectitur omnia, intra solidans, extra protegens, supra fovens, infra sustinens, arte investigabili ligans diversa, temperatura mirabili astringens in pacem et in unum jungens contraria, premens levia, ne effluant, sustinens ponderosa ne ruant. In eodem corpore ignem et aquam videas convenire, terræ aerem circumfusum, illamque molem immobilem firmis radicibus levi et C subtili fundamento inniti, aquas labiles et supra ferri, et ardoribus non consumi, ut in hoc sapientia et omnipotentia artificis propensiori admiratione considerata, nos in sui reverentiam trahat quo nihil ei impossibile videmus. Cujus moderamine diversa et contraria in unitatem pacis conveniunt et immobilia et errantia ad certum ordinem revocantur; nec intumescunt maxima nec minima consumuntur: nec tota illa mundi fabrica sine ulla ruinæ formidine ex tam dissimilibus partibus uniformis, ex tam diversis una, ex tam contrariis quieta, et solida et concors in sua lege perseverat et ordine. Uni domino omnia subdita non habent quod divertant; nec ullum patet effugium a principe, nisi in D judicem et a judice in vindicem. *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (*Coloss.* I), *in quo vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII); quoquot sumus sub certo numero certam habentes mensuram et pondus. Ex ipso sumus natura et origine, per ipsum sumus doctrina et regimine, et in ipso sumus uni-

Digitized by Google

tate dilectionis et consortio gloriæ. In libro ejus numerata sunt et conscripta cuncta quæ agimus, et quidquid ibi scribit transgressio, delet confessio. Imo de libro vitæ nihil deletur, quia liber ille æternitatis est, illius in qua nihil corrigitur aut mutatur. Appensa sunt talenta donorum, mensurata distributio gratiarum, ut nihil homo negligat, nihil subtrahat, nihil præsumat. Et quidem ante hunc visibilem mundum, id est ante cœli et terræ creationem, angelicæ claritatis obsequium Creatori non defuit, et præcessit illa spiritalis natura corporalem origine. Unde Ambrosius in Hexameron : « Angeli, dominationes, et potestates, et aliquando cœperunt : erant jam quando hic mundus factus est. » Et Basilius : « Post illa invisibilia et intellectibilia, initium generationis eorum quæ cernuntur sensuque comprehenduntur Scriptura enarrat. » Hieronymus supra Epistolam ad Titum : « Sex millia nostri temporis necdum complentur anni, et quantas prius ætates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, et dominationes servierunt Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo volente substiterunt. »

Sunt qui ita intelligant : non solum Creatorem, sed ipsam etiam cœli et terræ creaturam ante tempora exstitisse, quia ad discretionem diei ac noctis, ab ortu et occasu majorum siderum et minorum secundum principia et fines et reditus concurrentium vicissitudinum, determinatis spatiis certarum horarum numero definita est dies et nox, et dierum certis collectionibus distinctum sit tempus ; et illa quidem opera sex dierum instituta ex nihilo nullam habentia vel ex se, vel aliunde materiam, sed tantum voluntate artificis prolata dicunt, cujus verbo dictata est omnium quæ sunt, et causa, et ratio et origo. Spiritualis quoque naturæ, id est angelicæ, ea plenitudine sentiunt ordinem institutum, ut nullum ad reparandam vel augendam successionem semen invicem transfundi, in genere illo ulla necessitas postulet, quia si quid ad numerum eorum forte deest hoc suppletur ex homine, cujus multiplicatio quod petiit vel quod defuit, restituit, et consumat. Tantumque aiunt fuisse spatium inter opus et opus, quantum sex dierum continent intervalla, id est quantum dies et nox una mora metitur, et sic facta singula quibusdam præcedentibus, quibusdam subsequentibus, sicut prius est ordine in ædificio fundatum fundamentum, cui infigitur paries et tectum, quæ sicut mens, et opus artificis, gradatim aptat in domum, ita Deum fabricæ suæ molem et species orditum esse, et quasi texuisse pedetentim sentiunt mundum. Verum illius spatii intercapedinem qua ante temporum vicissitudinem invisibiliter Dei sapientia prima opera disponebat diffinire temerarium est, maxime cum canonicæ Scripturæ de hoc nihil certi tradiderint. Casus tamen diaboli, quia ab initio fuisse legitur, si ante creationem cœli et terræ fuit, non intelligo vel cui inviderit, vel cujus fuerit homicida, cum homo non esset. Unde illa Scriptura : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* I), universam creaturam et angelicam et humanam, et reliquas singulas videtur asserere simul verbo Dei fuisse exortas, licet difficillima sit illa distinctio, et tamen est distinctio qua intellectualis corporalem præcessit. Prius in rebus investigatur ratio essentiæ, deinde ordo naturæ, ad ultimum usus et necessitas causæ. Cumque eadem sit causa, et unire et partiri, et recolligere negotium, industriæ est ut in eadem re aliquid primum, et aliquid intelligas ultimum. Hoc secundum nostri intellectus angustias in rerum consideratione ex crassitudine corporea patimur hebetes et lippi ad puræ lucis fulgorem. Verum *sapientia* Dei *attingens a fine usque ad finem* (*Sap.* III), subtilissima celeritate, et prædestinata et creata coessentia intuetur ; et quæ ipse simul, nos per partes colligimus, et per aliquas moras collectas unimus. Creavit itaque Deus cœlum et terram, rationalis creaturæ domicilia, ut haberet utrobique colonum et laudatorem implens cœlum et terram divinitas. Et superiora quidem agmina Deo vicinius conjuncta, quasi intellectualia vel spiritualia, amplius naturæ creatrici participantia, hærent stabilitati suæ affixa. Homo vero et terrestris et cœlestis, et caro et spiritus, e cœlo terraque commistus aliquando apud se sobrius manet, nonnunquam mente Deo excedit, et secundum utramque naturam modo infra est, modo rapitur supra. De angelis sane quorum gradus et officia et dignitates in multis locis Patrum distinguit auctoritas, nihil Moyses est locutus. Sed cum alibi in hoc ipso libro Geneseos eorum personas et officia introducat, non est dubium quin eorum creationem in nomine cœli intelligat. Ideoque cœlum non est dictum inane et vacuum, etiam cum pars reproba cecidisset, quia non in quorumdam lapsu tota angelica collectio est infecta, nec peccatum quorumdam nisi in consentaneos prævaricatores redundat, quia non nascitur spiritus de spiritu, sicut caro de carne, nec omnino illa natura descendit ex traduce ; et licet omnium sit una natura, nihil tamen habet alter ex altero, quia unicuique singulariter et proprie omnipotentia divina specialis est, ut ita dicam, nativitas et origo. Terra autem, cujus habitator homo est, inanis dicta est et vacua, quia, licet in innocentia sit conditus homo, carnis tamen vigor nondum erat ad integrum solidus, et omnino etiam ante peccatum minus erat purus et perspicax humanus quam angelicus intellectus. Nondum erat reformatum corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis divinæ (*Philipp.* III), nec erat in eo statu humana conditio, quem absque dubietate resurrectio pollicetur. Vacua adhuc illius plenitudine beatitudinis quam acceptura erat, quantum sibi ad plenam compositionem deesset ad lucem accedens didicit, qua circumfusa, melius suum imperfectum considerans, ad eum qui potest implere et componere insufficientiam humanam conversa

Digitized by Google

conformationem et reformationem suam nihil hæsitans præstolatur ; vacua erat terra, non habens possessorem ; inanis, non habens decorem, quia informe est quod non illuminat Deus, et vacuum, et egenum quod non implet.

Et dixit Deus : Fiat lux ! et facta est lux (*Gen.* I). Scriptum est quia Deus lux est (*I Joan.* I), et quia *lucem habitat inaccessibilem* (*I Tim.* VI). Ipsemet est lux, quæ facta est, sed lux primordialis illuminans omnia, id est causalium rationum quas apud se habebat reconditas, manifestans efficientiam, conspicabile faciens quod tamen sibi intelligibile erat. Et est illa prima lux repellens tenebras, et constituens dies, abigens ignorantiam, et purificans intellectum sapientia. Per hanc enim omnium rerum conditio disposita est, et ipsarum constitutionum cognitio dies vocatur. Est itaque prima dies ipsius sapientiæ intellectus ; secunda, corporalis dispositio creaturæ ; tertia, segregatis tenebris a luce, utilitatis rerum certa cognitio, qua in admirabili ordine et pulchritudine considerata in admirationem Creatoris trahuntur invisibilia ipsius, per ea quæ facta sunt contemplantes, ita ut per hoc innotescat nobis sempiterna ejus virtus et divinitas (*Rom.* I) ; quarta vero dies, ecclesiastica doctrina et Scriptura sancta divinitus inspirata, in qua certas fidei regulas invenimus, ut non quisque suo sensu, sed veritatis æternæ auctoritate firmetur ; quinta vero dies, colluctatio rationis cum concupiscentiis, quasi cum reptilibus innumeris quibus resistit humana infirmitas, in quibusdam quidem membris suis actionibus hujus sæculi affixa, in quibusdam vero avolans conversationem sibi elegit in cœlestibus et quietem. Jam vero sexta dies est oppressis concupiscentiis et triumpho de hujus mundi victoria celebrato, mundo corde et pacifico spiritu cognitio et contemplatio Dei, per quam deponentes imaginem terreni, et veterem hominem exuentes reformamur, et in similitudinem Dei et imaginem transimus, imaginem quidem exprimentes signaculo charitatis, similitudinem vero stabilitatis et pacis. Ad hæc consideranda sive contemplanda, prima lux, id est cognitio veritatis, quasi inquisitorem suum humanum dirigit intellectum, manifestans ei singulas rerum species, hoc est distinguens dies ac noctes, illuminans egressum de ignorantia, ad cognoscendum ordinem rerum, ut in nomine cœli et terræ omnia cœlestia et terrena intelligat : quæ per quædam spatia, quasi per dies et noctes Scriptura distinguit et separat, et ne quid desit, ne quid causetur infirmitas, superfertur spiritus Dei, fovens et formans rationabiles appetitus, adjuvans infirmitatem, fecundans sterilitatem, excitans devotionem, operiens excessus, et distracta restaurans. Hic est spiritus multiplex, unicus, stabilis, mobilis, humanus, benignus, qui ubi vult spirat, et docet, et replet et suggerit omnia, de cujus inexhausta plenitudine et manatione sincera repleta corda fidelium, unius moris in domo cœ- A dificata in habitaculum Dei, eructaverunt in Ecclesia verbum bonum, invincibili eloquentia et insuperabili inconstantia subjectis contradictoribus, cum repente, facto cœlitus sono illitterati et idiotæ facti sunt fidei assertores, et piscatores disputatores (*Act.* II). Hic, absque emendicatis aliunde suffragiis, quos compungit inungit, quos invitat consummat, quod præcipit efficit. Ideoque in eo quod superferri dicitur, nota magisterii dignitatem, nutritoris affectum, vivificatoris præsidium, charitatis impressionem, affinitatem naturæ, benevolentiam gratiæ. Et primo quidem lux, deinde dies, postea firmamentum, quarto loco illa magna luminaria facta narrantur, quia prima illa angelica natura vigens bono naturæ et gratiæ, dum per humilitatem B stetit in veritate, unica luci æternæ segregata est a nocte, et stabiliri meruit et confirmari, et jam absque ruinæ periculo, de gloria sua omnino secura nullum ultra habet ad malum accessum, quia ita est luci superiori conterminata, et adeo ex illo fulget splendore, ut lucem quæ ipsa est nullius caliginis vapor interpolet.

Est igitur lux illuminans, Deus ; lux illuminata, angelus ; firmamentum, radicatus in Deo rationabilis affectus. Est igitur prima dies, intellectualis vel spiritualis naturæ institutio ; secunda, corporalis et visibilis rerum creatio ; tertia, rerum ab invicem distinctio, et earumdem secundum genus suum fructificatio ; quarta, per verbum Dei ex testimonio Scripturarum mentis illuminatio ; quinta, inter C appetitus carnis et spiritus rationis discretio ; sexta, in intellectu et actione, quasi quodam sexu maris et feminæ, imaginis et similitudinis divinæ expressio, ex qua copula spiritalis fetu repletur Ecclesia. Jam vero restat in septima sola vacatio, de quo Sabbato ad sabbatismum octavæ transiliit qui quis renovatus spiritu mentis suæ potiora probaverit, et de tenebris hujus mundi emerserit, in omnibus inter lucem et tenebras dividens, et fructificans quasi arbor bona secundum gratiam quæ data est sibi. Oportet quippe hominem intelligere in primis, quia Deus est ; postea quid sit Deus, ad quod ex creaturæ consideratione paulatim accedit ; deinde luce veritatis accensa, inter carnalia et spiritualia, quasi D inter aquas superiores et inferiores, firmamento rationis fixo, expulsa tentationum quasi flatuum salsugine, gramina et arbusta producere, id est virentium gratiarum propagare genimina. Sed et ipsas spirituales intelligentias quæ ex Scripturis nascuntur, diligenter attendere. Quomodo ipsa veritas quasi sol illuminet animam ; ipsa vero anima quasi luna irradiat noctem, id est corporales sensus, actiones quasi stellas multiplicans, quæ caligine tenebrarum hujus mundi non vincantur. Necesse est etiam ut inter reptilia et volatilia ea discretione utatur, ut, quia aliquos excellentioris vitæ conspicit, non contemnat infirmos, quia in omnibus est anima viva, et quæ inhonestiora sunt, iis honorem abundantiorem circumdamus. Iis exercitiis

Digitized by Google

homo ad formam Dei proficit, cujus est quies cœlestis hæreditas, cujus gloria beata æternitas, et in agnitione Dei omnem exsuperans sensum pacis supernæ felicitas.

Justitia et judicium in primo statim patuere negotio, et sine ulla dilatione assentientium et dissentientium spirituum utraque pars suorum obtinuit stipendia meritorum, et sejunctis illico contuberniis separata sunt sancta et impia agmina, expulsis dejectisque irregressibiliter in inferiores mundi partes, sive in infernum (quicunque ille est), his qui sine Deo esse affectaverant. A Dei quippe visione beatifica sine spe misericordiæ in æternum avulsi, immortales quidem, sed tamen passibiles impassibilitati sanctorum angelorum superstitum invident, et licet eos infectare non possint, quoniam illi solidata natura intentabiles sunt, in livore malignitatis, in implacabili odio perseverant: et hoc ipsum invidiæ tormentum, continuæque rubigo malitiæ, jugis ira, infinita tristitia, spes venis interclusa, quasi flammæ ultrices cor eorum felleum undique allambunt, et est quasi quædam gehennæ fornax semper nocendi aviditate accensa. Mala voluntas est quasi perpetua cæcitas, id est a visione divina præcisa facultas. Sancti vero angeli adhærentes Deo semper vultui ejus assistunt, et faciem ejus sine ullo velamine contemplantur. Bibunt de ipso fonte vitæ, et panem suum supersubstantialem, in quo confirmati sunt, ad satietatem comedunt; regnant sine fastu, serviunt sine jugo, gaudent sine metu, obtemperant, sed non serviliter; omnis consummationis vident finem, sed non finaliter. Contemplantur altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; quiescunt in pace illa, quæ omnem exsuperat humanum intellectum; et si est aliqua superior et secretior pax quam solus inhabitat Deus, id ipsum beatitudinis est, quod habent in suo bono sufficientiam, nec coæquari suo superiori præsumunt. Hoc enim illius maligni peccatum est quod non sufficit ei excellentiæ suæ illa admirabilis magnitudo, sed similis esse Altissimo voluit, vel quasi Deus omnino, vel saltem sine Dei dominio. Ideoque cum esset lux in Domino, factus est tenebræ in seipso, et justissimo judicio qui voluit esse summus factus est infimus; qui supra lucem, noctis addictus, qui supra regem, carceri mancipatus, de libero servus, de angelo diabolus, de conspicuo obscurus, de nobili et glorioso contemptibilis et horrendus: vere divisa est lux a tenebris, et in eodem consortio bonum et malum esse non possunt. Non est communicatio Christi et Belial, non est participatio justitiæ cum iniquitate (*II Cor.* VI). *Angustum est stratum*, inquit Isaias, *ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest* (*Isa.* XXVIII). Sed et chaos magnum inter bonos et malos angelos est firmatum, et irrefragabiliter sancitum est ut omnino non possit ultra bonus angelus in diabolum, vel Satanas transire in angelum bonum, quia utrinque rata et immobilis promulgata est sententia, ut A qui ceciderunt, ultra stare non possint; qui vero stant, periculum casus cujuslibet non formident, et sicut peccatum in electos ultra non cadit, ita in reprobos non redit justitia; quia sicut nullam sensit corruptio reorum medelam, ita nullam admittit sanctorum gloria corruptelam. Fallitur Origenes, qui dogma Platonicum in Ecclesiam introducens in libris *Peri archon* de quadam revolutione dæmonum in corpora, quasi per crassæ hujus corporeæ oppressionis conversationem indignam purgatione facta, rursum post multa sæcula, per hujusmodi revolutiones expiatum, in statum antiquum Satanam asserit reversurum. Addit etiam nescio quam passivam divinitatem pro reorum redemptione iterum in aere invisibiliter pati; et dum laborat emungendo B sanguinem ex quibusdam Scripturarum auctoritatibus, et prædicat Deum misericordem et pium, probat eum mendacem et injustum. Mendax est, si impius cum diabolo et angelis ejus non vadit in ignem æternum; injustus, si injusto et justo idem reddit stipendium. Sed hæc verborum monstra et rationum portenta, non christiana sunt dogmata. Supersedit litteræ Origenes, nec intellexit Isaiam, qui in honore Tyri quædam mystice loquebatur, quæ ille litterator ad proprietatem verbi retorquere conatus est. *Et erit*, inquit propheta, *in die illa, visitabit Deus super malitiam cœli in excelso, et super reges terræ qui sunt super terram, et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi* C *in carcerem, et post multos dies visitabuntur* (*Isa.* XLII). Visitatio hæc non est indulgentiæ, sed severitatis et justitiæ, sicut sæpe visitantur a custodibus, qui in carceribus sunt non ut liberentur, sed ut custoditi diutius et acrius crucientur. Sunt et aliæ Scripturarum auctoritates quas ille quasi de convallibus rapuit, et statim ad eas cum clamore cucurrit. Animas quoque hominum angelos fuisse, et rursum in angelos reversuras, et in restitutione angelos et dæmones, et omnes homines sive Christianos, sive gentiles, sive catholicos, sive hæreticos æquales fore, et iterum animas ad nova corpora reversuras, et ex alio principio iterum alium mundum: et sic alternis vicibus usque in infinitum decessum et successum omnium et sensit et scripsit, D et alia multa impia et nefaria quæ etiam replicare criminis est.

Ne igitur detrusis in has inferiores partes malignis spiritibus, si eadem passim conversatio dæmonum esset hominum, liber et frequentatus accessus, et conflictus assiduus homini esset in juge et pertinax scandalum, et nulla pacis forma esset, ubi indefessa infestatio urgeret, seorsum pars reproba impetus importunos quasi amarissimos fluctus præfixis terminis Deo præcipiente intra se collidere coacta est, et dictum est ei: *Usque huc venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXVIII). Qui dixerat: *Sedebo in monte testamenti, ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV); jam neque in gregem porcorum audet intrare nisi permissus (*Marc.* V); sed capi-

Digitized by Google

strata cervice hac atque illac quantum catenæ longitudo attingit, spumans et fremens relambit quod evomuit, et nihil virium habet illa malitia, nihil effectus illa vesania, nisi quantum vel ad probandum, vel ad puniendum justos vel injustos justitia divina permittit. Habent et ipsi sub principe dæmoniorum leges officiorum et ministeria distributa, et quantum indulget potestas superior, dico sanctorum angelorum, sub suis potestatibus militant et egrediuntur, et circumeunt, et suscitant tempestates, abscondunt laqueos, tendunt muscipulas, et exquisitis artibus modo violentiam, modo simulationem intentant. Persuadent et suggerunt consiliatores dolosi quæcunque impia, quæcunque impudica: nihil agunt potestative in animas, in quarum potestate potius et voluntate est in forma crucis et sanguine agni resistere, et confusum et victum repellere in gehennam. Et ex propriis illusionibus quibus servos Dei irritat et appetit, ipse repercutitur et illiditur, fitque ipse occasio coronæ et gloriæ quibus esse voluit transgressionis laqueus et ruinæ. Sed et si aliquando prædestinatorum aliquis ad ejus flatum infectus contabuit, armis pœnitentiæ accinctus fortior securiorque surrexit, et expertus admissi turpitudinem, hostem suggestorem et se consentaneum mira indignatione exhorruit, et rursum cautior et munitior ad conflictus accessit. Profligati itaque et repulsi ad seipsos convertuntur, et in maris sui salsugine, hoc est propria cruciantur invidia, et inefficacis malitiæ dolore tabescunt, hoc est mare magnum et spatiosum in quo sunt reptilia quorum non est numerus, in quo draco ille antiquus quasi cete immensum perambulat, cui auctore Deo illuditur (*Psal.* CIII). Ex immissionibus vero quæ per angelos malos fiunt, homo opus divinum non destruitur, sed probatur, et recedentibus tentamentis omnique spirituali nequitia quasi intra suum pelagus recolleca, exsiccatis paludibus voluptatum, terra fecunda herbam virentem et ligna fructifera talibus germinat incrementis: qui a cordibus electorum abstersa peccati illuvie de virore fidei, ad fastigium spei, et ad ipsum culmen perveniunt charitatis, radicati sicut arbores bonæ in Christo, et fructificantes secundum mensuram donationis ejus, unusquisque in genere suo.

Nomine herbarum viridium simplices et humiles possunt intelligi; arborum vero proceritas sublimioris sapientiæ exprimit dignitatem, lignum sapientiæ, et lignum scientiæ, et lignum vitæ, quæ in hac Scriptura inveniuntur, nos hæc spiritaliter intelligere persuadent, licet fundamentum litteræ non avellant.

Constitutio corporalis vel spiritalis visibilis et invisibilis creaturæ, quæ est quasi prima hujus mundi dies, illuminante mentem Verbo Dei, intelligibili ratione cognita est. Sed oportebat ut eamdem lucem intellectus lux copiosior ipsius veritatis vivacioribus documentis accenderet, et acutiora et subtiliora per se dictaret dogmata veritas, quam humani ingenii vel rationis per se posset experiri capacitas. Condidit itaque sapientia duo luminaria magna, et constituit in firmamento; et quod intimaverat ex parte per spiritum, loqui voluit per seipsam, ut esset posteritati divina auctoritas, nec errandi locum, aut ignorandi, aut pervertendi verum hæreticorum haberet impietas. Conveniunt sane in unum naturæ et legis decreta: sed majus pondus est, ubi doctor est Deus, quam ubi inquisitor est animus. Moysi in monte Sina datæ sunt tabulæ lapideæ scriptæ digito Dei (*Exod.* XX); apostolis sanctis Verbum quod erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum, et idem Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I): Filius Patris locutus est, et non in tabulis lapideis, sed voce viva prædicavit Evangelium scribens intus in cordibus, clamans extra in auribus: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* I). In his duobus testamentis, locutus est Deus multifariam patribus in prophetis, nobis per seipsum in Evangeliis (*Hebr.* I); et everso modio velaminum, accensam veritatis lucernam figens super candelabrum (*Matth.* VI; *Luc.* VI), quasi diem proposuit divinæ et humanæ naturæ in eadem persona unitum consortium. Ab Adam quippe usque ad Moysem naturalis lex a cæremoniarum libera servitute sub familiari mandato primitivum populum docebat et regebat; sed, sicut diximus, doctrina hæc, quia non muniebatur definitione auctoritatis, labi poterat per successiones vel corrumpi: ideoque accessit lex scripta quasi luminare minus in ænigmatibus et figuris, unius quidem Dei cultum et venerationem exigens, sed ad exercitationem rudium animorum sub multiplici verborum velamine, rerum veritatem occultans. Fecit Moyses tabernaculum et mensam propositionis, et arcam testamenti et velamentum ante Sancta sanctorum et cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium (*Exod.* XXV); multa de circumcisionis ritu, de mundatione lepræ, de lege zelotypiæ, de sacerdotum vel levitarum officiis, de unctione pontificis, de civitatibus refugiorum, de violatoribus Sabbatorum, de generibus holocaustorum, et aliis legis decretis præcepta conscripsit (*Levit.* XXIV). Sed, ut ait Apostolus, luminare illud legis neminem ad perfectum perduxit (*Hebr.* VII). Erudivit sub timore quasi pædagogus teneram Ecclesiæ nescientis infantiam, et lascivientem primæ ætatis insolentiam oppressit serviliter donec in præfinito tempore a Patre provectus in intelligentia spiritali populus Dei introiret usque in interiora velaminis (*Hebr.* VI), et ipsa Sancta sanctorum, intra quæ nullus ingredi nisi solus summus pontifex præsumebat (*Hebr.* IX). Ubi vero gratia, scilicet luminare majus, intolerabile legis alleviavit onus, expirante Jesu in patibulo, rupta sunt illa velamina. Jam non tantum Aaron et filiis ejus illud privilegium mansit, sed universitati fidelium liber ingressus datus est et ad lignum vitæ et ad Sancta sanctorum. Primus ingressus est non in alieno sanguine bonorum pontifex futurorum, et dato illo magno pretio sanguinis, viluit aurum legis,

Digitized by Google

et veniens Sanctus sanctorum abolevit victimas Judæorum.

Luminare minus fulgebat pro modo suo, cum tantum *notus* esset *in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV), cum illas umbras et ænigmata mandatorum vix etiam pauci electi illius temporis caperent. Ubi lux gratiæ Evangelii luminare effulsit, nullus fuit qui se a calore ejus posset abscondere. Dirupta sunt illa figurarum integumenta, illa verborum involucra, et facta sunt omnia munda mundis, accessibilia et intelligibilia universis, et repulsa multitudine exemplarium, unum pro omnibus omnia continens et excedens, et cujus plenitudinem omnis illa inchoatio figurabat, sanctum et rationabile superfuit holocaustum, unus ordo, una distinctio, nuda veritas, pura charitas. Jam non tantum tribus Levitica ad sacra mysteria separatur, nec de sola tribu Juda regalis persona eligitur, una est tribus populi Christiani gens sancta, populus acquisitionis (*I Petr.* II), et Christus rex noster et pontifex regii sacerdotii pauperibus tribuit dignitatem. Jam vitæ puritas non significatur, sed ostenditur. Jam Agnus Dei digito demonstratur, Messias non exspectatur. Jam nobiscum Emmanuel conversatur, fulget in Ecclesia Sol justitiæ, Rex decore suo videtur. Propalata est sanctorum via æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX). Nihil est ad hominis perfectionem quod non hæc duo doceant testamenta : omnia legis sacramenta simplicitas evangelica exponit, profunditatem propheticam explanat Apostolus. *Et manifeste* ad lucem istam *magnum pietatis arcanum innocuit, quod manifestum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III). Stellæ quoque in firmamento dispositæ dant lumen suum. Quod exponens Daniel, ait : *Qui docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII). Docti et doctores stellæ vocantur. Quidam enim exemplo, quidam et verbo proficiunt et exemplo. Dividit hæc Scriptura inter diem et mortem, separans a sinceritate doctrinæ catholicæ hæreticorum inquinamenta et a moribus sanctorum eradicans quæcunque non competunt honestati. Lux ista veritatem separat a mendacio, a nugis seria, a pace discordiam, a Christo idola, a puritate religionis quæcunque impia et obscena. Lux ista cor mundum, et a peccati amore divisum, primum pudicum, deinde pacificum usque ad contemplationis divinæ perducit arcanum. Descriptio Jerusalem in latere, et per Ezechiel adversus civitatem ordinata obsidio, sartago ferrea pro muro erecta et reliqua signum sunt Domini Israel lumbare, juxta Euphratem absconditum et putrefactum, oculi animalium, et pennæ quarum aliæ volant, aliæ caput et pedes sedentis in throno abscondunt, in signum magnæ rei ab Isaia sunt positæ, et per Apostolum in Christo et in Ecclesia signatur sacramentum, cum de nuptiis et conjugii fœdere idem disputaret Apostolus. Agar et Sara duo significant testamenta ; Isaac et Ismael populos duos, et multa hujusmodi in signum alicujus rei sancta Scriptura ponere consuevit. Sed et temporum et annorum revolutio, et discursus de una ad alteram, volubilitatem mutabilium, et æternitatis stabilitatem distinguit, quia ferventi circuitu rationis desiderium ad principium suum recurrens festinat, ubi nec anni, nec tempora, nec aliquæ mutabiles vicissitudines, sed una sancta est dies consummatio et plenitudo sanctorum, lux non erratica, Deus omnia in omnibus, perpetua illuminatio omnium. Circumcisio in signum est exspoliationis carnis peccati, baptismus sepulturæ, opus altaris crucifixionem carnis, visibilis unctio sanctificatum habitaculum Spiritus sancti significat ; templum mentis dies sunt, horum et similium congrui intellectus. Tempora sunt, collectio et concordia novorum et veterum, sicut matutina spatia ad certas metas finesque conveniunt. Licet proprie præsens et præteritum, et quod futurum est nomine temporis censeatur, nihilominus tempus dicitur æstas et hiems, et alia similia, quæ ad intellectuum volubilitatem aptata, rerum varietates et finem unitatemque diversorum, reductis ad suum principium causis, et conjunctis partibus exprimunt. Idem per annos, licet diffusius intelligitur, in quibus sicut et dies, et tempora concluduntur, et ipsi anni extenduntur in sæcula, ita Verbum Dei, lux æterna, omnia per Scripturam sanctam intimat et comprehendit. Loquitur Moyses revelante sibi Spiritu sancto de constitutione mundi, cui temporaliter et corporaliter non interfuit. Paulus prædicat Evangelium, quod ab homine non didicit, sed per revelationem Jesu Christi (*Gal.* I). Ascendit in paradisum, audit quædam arcana, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). Joannes apostolus ad æternitatem Verbi, et coessentialitatem et unitatem Patris et Filii ascendit et attingit. Isaias et Daniel multa de fine mundi et de judicio Dei eloquuntur, in quibus quasi per quosdam scalæ gradus ascendit et descendit quilibet studiosus, habens Scripturam et tempus, quasi annos in quædam infinita sæcula proficiscens, quippe his omnibus diffluentibus, sicut scriptum est : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV).

Spiritum sanctum superferri aquis superius diximus, cujus inspiratio subjectæ sibi creaturæ vivificaret et fecundaret originem, non incumbens ei quasi ad tutelam secundum Manichæum contra nescio quam gentem tenebrarum, sed concludens sub se, quia nihil per se, nisi idem spiritus foveat, aut bene vivit, aut sane intelligit. Aquarum nomine generationes hominum intellige, quæ sicut de fonte in rivum, de rivo in fluvium labuntur, ita homines de conceptu in partum, et de infantili ætate in senium inquieto volumine properant et decurrunt, unus atque idem Spiritus, prout vult, ex eadem materia diversa in varia ministeria operatur : *Et alii datur sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii discretio*

Digitized by Google

spirituum (*I Cor.* XII). Seminat in agro suo mente hominis semen justitiæ, et quædam quidem ad horrea vitæ activæ, quædam ad cellaria æternitatis implenda prædestinat, ita tamen ut activæ fructus imputribiles, post necessarios vitæ præsentis usus, cœlestibus inferat apothecis. Nascitur ex eodem cespite frumentum et hordeum, et in eodem terræ gremio aurum foditur et argentum. Alia aliis excellentiora, singula in genere suo utilia et necessaria. Ex humano genere, quasi ex aquarum natura, et reptilia procedunt et volucres, quia quidam repunt per hæc terrena; alii vero his neglectis in cœlestibus conversantur. Repit et lento gressu incedit quem premit conjugii servitus potestatis, fastigium, ministerii sollicitudo. Ex occasione officii sæpe officio reddunt ultra quam debeant. Sed licet ligna, fenum, et stipulam congerant (*I Cor.* III), a fundamenti tamen stabilitate non recedunt. Utuntur hoc mundo quasi non utantur (*I Cor.* VII), plantant, ædificant, sed tamen iis animo non hærent, imo ad civitatem Dei, de qua gloriosa sunt dicta (*Psal.* LXXXVI), medullatis affectibus suspirant. Neque vero illius civitatis rex a domo sua simplicia hujus mundi excludit reptilia, qui etiam Rahab quasi reptile venenatum purgavit et fecit innocuum, et Tyrum et populum Æthiopum et alienigenas, quasi multa reptilia, congregavit et posuit illic : et ipse natus est in ea quam fundavit Altissimus, et filios adoptionis cohæredes constitutos secum lætari et cohabitare voluit in eadem civitate. At vero viri contemplativi, relicto humanæ conversationis nido, nituntur et tendunt in ardua, et per arctas vias non parcentes corpori, ubi sit dilectus, investigant, festinant per vepres et tribulos carnibus cruentatis, transiliunt sepes, et irruunt in reclinatorium aureum, ubi Rex in accubitu suo nardi odore delectatur (*Cant.* I), Suscipiuntur ad osculum, sugunt ubera potiora vino, trahuntur odore, post unguenta concurrunt. Gemit in fluctibus suis immensa actio et suspirat, gaudet contemplatio, et primitias pacis angelicæ jam delibat. Mordetur tentationibus, quasi serpentibus, homo in medio viperarum expositus, et concupiscentiarum lanceis latus nudum transfigitur, clamat oppressus : *Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis huius?* (*Rom.* VII.) Nihil hujusmodi contemplatio sentit; sed rara omnino illa mens est, si aliqua est quæ in hoc mundo ita mente excedat, ut ad illusiones carnis, et pruritus titillationum, non aliquando sive abolita, sive oppressa respiciat. Etiam spirituales dicit Apostolus posse præoccupari in delicto (*Gal.* VI). Tu quisquis spiritualis es, considera teipsum, ne et tu tenteris (*ibid.*). Intus in medullarum crassitudine in vapore cordis juge incendium et flamma æstuat perseverans, nullis aquis exstinguitur, et quocunque fugeris, sequitur. Repit humana infirmitas, et ad longum cursum non sufficit : quod et si fugerit, non evadit. Una patientia totum hunc ignem redigit in cineres : qui resistit vincit, qui tolerat superat. Infirmitas sentit, ratio non consentit : nec sensus peccatum est, sed consensus. Hic laborat discretio, hic vigilat ratio, hic est limus, hic est lutum fæcis, hæc procellarum regio, in qua reptilia conversantur. Sed, sicut diximus, circumfuso Spiritu sancto, qui subjectus est ei, quantæcunque circumfluant tempestates, exercitio proficit, motu purgatur, tentatione probatur, probatione firmatur. Inter hæc duo vitæ genera, quorum alterum reptat, alterum volat, et pusillanimitas et incolumitas creaturæ in altero sentit quid per se, in altero vero quid possit per Deum, ut nemo in se glorietur quia *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX).

Enumeratis et distinctis quæ ex terra et quæ ex aquis gignuntur, sequitur quasi auriga omnium inferiorum homo, et ducens præ se pecora et jumenta, quasi bestiales motus sibi subjectos indicans, dominus mundi constituitur : in seipso quasi alterius machinam exprimens, habens omnium elementorum substantiam, et secundum aliquid omnium creaturarum naturam, dignitate spiritus et animæ rationalis intelligentia alter angelus in terris, societate carnis et vitæ, motus et essentiæ adeo participans hominibus, ut non solum secundum hoc quod moraliter vel allegorice definivimus, sed etiam secundum proprietatem naturæ ad universitatem rerum quædam sit ei cognatio et affinitas multiplex. Intueri possumus in homine velut quemdam alterum mundum, totum in exiguo, e cœlo terraque commistum, habentem sub se visibilem creaturam, supra se invisibilem, in unius mentis angustia, universitatis semina complectentem. Mens in eo quasi quoddam divinitatis insigne, subditos aptat et dispensat affectus. Habet de cœlesti natura sapientiam et intellectum, consilium et scientiam, constantiam et pietatem, et castum timorem : quo ductore in eo a quo est, humiliter gloriatur. Quidquid spirituale in nobis est, inde est : ibi exemplar est ad cujus formam homo sensum acuit, mores componit, aptat sanctimoniam, ordinat charitatem. Secundum illam naturam, paulo minor quam angeli propter carnem passibilem, non ignorat, quia ex conjunctionis suæ diversitate aliquando liberabitur, et rursum magnificentius colligabitur, nec jam ultra dissolutioni obnoxius, sed æqualis angelis etiam in corpore constituetur, et illius gloriæ quam modo per patientiam exspectat, culmen attinget. Corpus quidem de terra est, in quo, si diligenter consideres, in minimis corporis partibus omnia hujus magni mundi membra reperies. Gravia hæc elementa, terra et aqua, igne et aere quæ levia sunt, circumfusa moventur, et ponderosa materia segregata ab invicem traductione subtiliorum confusione non premitur, sed distinctis singulis ordinatisque accessionibus omnia sibi serviunt, ut omnino stupenda sit illa rerum discordia in tantam pacem redacta, ut absque ulla dissensione ignis et aqua in eodem vase cohabitent, ita ut et terra aquis non diluatur, et tanta mole subtilitas aeris non excludatur. Imo vero complectuntur se pacifice, ut in hoc quoque mireris ar-

Digitized by Google

tificem, et in harmonia universorum et compage omnium, bonum pacis quam sit prædicabile, et commendabile videamus, et cum inter se contrariæ discordesque naturæ conveniant, quantum et quam indissociabile fœdus esse oportet in rationabilibus creaturis, quarum una est origo, una functio, una perventio. Considera in capite humano, in substantia cerebri quasdam cellulas sub quadam quasi camera cœli, testa superiori constitutas, et quasdam pelliculas, quas miningas vocant, cerebrum involventes, ut quasi nubes aquis vaporalibus calorem superiorem humectent, ne nimia siccitate vitalis ille motus arescat. Deinde quasi in firmamento oculi duo magna luminaria micant, interiori quidem igne semper accensa. In narium fistulis introitus et exitus aeris manifeste conspicabilis est. Discursus aquarum per venarum meatus quasi per alveos suos perenni lapsu circumferuntur, et in stomacho et in vesica sentinam et totius colluvionis pelagus vides. Cor igneum, nisi pulmonis ventilabro refrigeretur, succum corporis exhaurit. Caro, quæ quasi terra in homine est, calore cordis vegetatur et fecundatur. Hepar et lien, lacerti et musculi, et renes et reliqua officialia membra, quasi metallice sunt in corporis officina, eorumque officiis et nutritur, et purgatur, et augetur, et minuitur, prout naturæ ratio exigit hæc corporea et materialis substantia. Viret homo in pueritia sicut herba, floret in adolescentia sicut arbor, et in senectute fructificat. Reptat in ætate decrepita, pascitur, cum docetur, ut pecus; ut jumentum servit cum obedit; volat cum ad suum principium redit. Ita mundum majorem in minore reperies, et nihil est in illa mole immensa quod huic exiguo congrue non aptetur. Quod autem non ad materiam, sed ad mores multa referimus, et interioris hominis affectiones enumerantes, in illa diutius parte quæ præstat moramur, nequaquam abolemus historiam, quæ Scripturæ fundamentum est; nec vim facimus litteræ, proprietatem ejus in sensum alium retorquentes. Ex eodem palmite racemus et vinum, et ex eadem spica et panis et granum. Nulla est injuria, nulla violentia, quam facimus litteræ, si reconditos in ea mysticos revolvimus intellectus, imo honoramus fundamentum, cum super illud, templum Domino ex subtili et invisibili materia, spiritali labore construimus. Sane absque ulla dubitatione credimus, in principio creata simul cœlum et terram, in quibus, sicut supra diximus, omnium, quæ postea facta sunt, vel fiunt, elementalis exstitit causa.

Quod autem dicitur lux postea facta, cum sol nondum esset, si tamen horarum hoc factum putatur intervallis, jam ad litteram lux illa vix potest intelligi, nisi forte ille elementalis ignis per se in suo puro fulgeret. Sed quomodo immistis in materia elementis, rursus eorum separatio fiat, vix humana ratio capit, cum eorum momentanea separatio, illius sit complexionis destructio. Quod commistus aquæ et terræ et aeri, ignis luxisse dicitur ante solem, hoc rerum experimento rationalis sensus non didicit, cum hodie sine illis duobus magnis luminaribus nihil nisi tenebrosum in rebus corporalibus possit intelligi, et absentia solis ipsa est nox, et rursum præsentia dies. Proinde si lux illa prima corporalis fuit, remoto sole et luna, in rebus visibilibus similem lucem mihi vellem ostendi, nisi forte per anticipationem effectus ante causam positus est, et prius lucem quam solem cujus lux est eadem Scriptura commemorat. Quod si lux illa per se fuit, et diem discrevit a nocte, minima fuit illa tenebrarum et lucis discretio, quia ipsa lux minima erat et omnino confusioni contermina. Hoc ideo dico, quia unam lucem materialem ad discretionem diei et noctis sufficientem fuisse rerum usus usitatusque naturæ cursus insinuat, et, ut ad spiritalem revertamur sensum, lux prima rationis et mentis fuisse, et voluntatis divinæ cognitio in rebus visibilibus apparuit, et intellexit homo mente de mundi constitutione divinum consilium : quod corporali lumine deinde sibi conspexit subjectum. Hoc est incongruum, si prius illuminatur spiritus, deinde corpus : imo sicut omnem actionem naturalem præcedit et prævidet ratio, ita multo efficacius in ordine rerum interiorem ante exteriorem hominem illuminari oportuit, ut de utraque consolatione Creatori obnoxius, cui causæ rerum patuerant de dispositionis æternæ non dubitaret effectu. Spiritualia et intellectualia et corporalia initium habuisse dubium non est, quantum ad hominis pertinet intellectum : et ipsa institutio primitiva sibi lux non erat, sed creaturæ cognitio intelligenti lux fuit, quæ nescienti tenebrosa abyssus erat. Neque enim contra rationem est, vel adversatur auctoritati, si rationalem creaturam prius factam, postea credimus illuminatam, et aliud ei fuerit illuminatio, aliud creatio. In reliquis vero eadem consideratio est, in die et nocte, in mane et vespere. Mane et vespere ita ponitur multis in locis, ac si dicatur, prius et posterius. Et fit vespere et mane dies unus, cum priorum et posteriorum plena fulget cognitio. Mane est inquisitionis opinio vel conjectura nondum perveniens ad veritatem, in ipsa inquisitione ex parte sentiens quod investigat. Si enim nihil sentiret, nihil inquireret. ubi vero ratio rei ad plenum colligitur, et ad liquidum ac perscipue a fine usque ad finem attingit, fit unus dies, et illius causæ assecutio, in cujus discutione multi meditationum conatus quasi horæ meridianæ expensæ sunt. In prima et secunda et tertia dies est, singularum rerum, quæ in usum interioris vel exterioris hominis creatæ sunt, diligens inspectio, certa cognitio. Quod enim de herbis vel arboribus, vel reptilibus et volatilibus, de jumentis et pecoribus Adam ille primus homo, qui omnibus nomina imposuit, revelante spiritu sensit, et causam et usum universorum agnovit, secundum ordinem et accessionem revelationum quod prius ei patuit, quasi prima dies fuit, et secunda quod posterius. Iterum in ipsa revelatione mane fuit inchoatio do-

Digitized by Google

etrinæ, vespere et mane plenitudo scientiæ. Nec nomina, nec causas, nec rerum effectus agnosceret, nisi eum divina sapientia doceret, quæ ei et se singulariter proposuit, et quidquid corporaliter creaverat, et distinxit, et tradidit, et subjecit. Illa quidem visibilis mundi essentia, licet simul facta sit, simul tamen dici non potuit : et non nisi per verba humana quæ temporalibus intervallis formantur, rerum universitas exprimi potuit, et quod apud Deum in quo tempus non est vel spatium, simplex erat et unum, a Moyse per partes est visum, et intellectum et dictum, et per loca et species et officia distributum. Nimirum idem Moyses qui primum et secundum et tertium diem, et reliquas tam subtili distinguit libramine, unam esse diem qua cœlum et terra et omne virgultum, et herba creata sunt, ut et in cæteris idem intelligas, statim post enumeratas dierum distinctiones subjungit : *Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die quo fecit Deus cœlum et terram et omne virgultum agri, et omnem herbam regionis* (*Gen.* II). Vide quam manifeste creationem omnium una die factam Moyses dicit, qui tamen sex dierum opera mirabili subtilitate describit. Nunquam angelicæ naturæ, quam sub cœli nomine accepimus, divinæ defuit veritatis intuitus, nec humanæ, quæ per terram exprimitur, quasi lux dividens inter diem et noctem rationabilis intellectus. Firmamentum dividens aquas ab aquis, perseverans est ab æterno inter sanctos et impios disciplina. Congregatio aquarum intra unum littus, et terræ et arborum fructificatio, obedientia est creaturæ in genere suo. Duo luminaria in cœlo, desursum esse indicant quidquid in utroque legitur testamento. Lux firmamenti intellectus est testamenti. Reptilia et volatilia ex aquis producta activos et contemplativos ex eadem massa oriri significant. Hæc simul dici omnino non possunt; simul esse non est qui ambigat.

Faciamus, inquit Deus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). In omnibus quæ a Deo facta sunt, nihil hujusmodi legimus ; sed in omnibus sensibilibus et insensibilibus, et in omnibus quæ sunt et vivunt, dictum est ut essent, et fuerunt. Sol et luna, magni et incomparabilis splendoris luminaria, inter reliquas creaturas servilem obtinent locum. Solus homo ad imaginem Dei factus, hoc singulari privilegio honoratur. Et de angelis quidem, quod ad hanc similitudinem facti sint, nihil legimus. Quoniam sicut eorum creationem, eo quod intellectuales naturæ sint, Scriptura intellectui nostro reliquit, ita eorum dignitatem vel excellentiam prætermittit. Credendum tamen est illam imaginem in illis tanto expressius signatam, quanto illa natura purior est, et divinæ majestati vicinior. Reliqua vero omnia ad imaginem æternitatis non pertinent, quoniam vanitati subjecta, inquieto circuitu rerum vicissitudines obumbrant ; neque stabilitatem suæ essentiæ per hos discursus et motus conquirunt, et omnino desinent esse id quod modo sunt, nullo pacto, postquam dissoluta fuerint, ad corpora sua vel statum quemlibet denuo reversura. Ipse quoque sol in reformatione mundi ab hoc labore suo quiescet : nec opus erit divinis et nocturnis distinctionibus; quando una dies æterna, et sol unus immobilis Deus erit, et, quiescente omni creatura, una erit omnis naturæ stabilitas, una firmitas, una sanitas, una pax, una æqualitas. Elementa vero utrum tunc sint, cœlum scilicet ipsum et terra, vel aliquid præter spiritualia, puri pectoris est intueri.

Hoc tamen quod dictum est : *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV), nescio si ad hanc possit referri sententiam. Petrus apostolus in secunda Epistola, quæ Canonica dicitur, verbum evangelicum vel exponens, vel sequens ait (c. III) : *Adveniet dies Domini ut fur : in qua cœli magno impetu transient : elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ea sunt exurentur.* Et infra (*ibid.*) : *Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero cœlos, et novam terram, et promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* De abolitione vero veteris mundi nulla quæstio superest, quæ tam manifeste a principe Ecclesiæ est prædicta. Sed cujusmodi illud novum cœlum et nova terra futura sint, vel si iterum novis creaturis cœlestia, vel terrestria implenda sint, omnino prætermissum est. Quia vero dictum est justitiam habitaturam novitatem illam, potest intelligi quod omne in illa reformatione alterius et multo purgatioris naturæ futurum est, et quidquid modo vel corruptibile est, vel corruptum, in illa regeneratione purgabitur, et tota erit mera de reliquo meræ habitatio sanctitatis. Quanto magis homo configuratus corpori claritatis Dei, nihil molis habebit, nihil necessitatis in corpore, quod quidem et spirituale erit, et tamen corpus. Ita et ipsa rationalis creaturæ conversatio quæ utique paradisus erit, et tamen habitatio ; quia sive in illo novo cœlo, sive in illa nova terra illa glorificata corpora erunt, quæ, licet natura et gloria angelica agantur, veritate tamen corporis non privabuntur, sed sicut scriptum est : Sancti *in terra sua duplicia possidebunt* (*Isa.* LXI). Paradisus autem, hoc est illa amœnitas, quies, pax, tranquillitas, et cætera omnia bona quæ adhuc *oculus non vidit, nec in cor hominis ascenderunt* (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II), intelligentia et visio Dei erit, quia videbit homo et audiet et in cor hominis ascendet quidquid illud est quod Deus est, nec de locis corporalibus, vel odoribus, vel saporibus, ulla erit ultra vel cura, vel quæstio, quia, sicut diximus, etiam si localis aliqua tunc erit delectatio, spiritualis erit utique, non carnalis.

Homo ad imaginem Dei conditus, jam tunc nihil habens simile, nihil commune cum jumentis insipientibus, intelliget honorem suum, et in imagine ad quam conditus est intuebitur semetipsum et mirabitur, et dilatabitur cor ejus, et adhærens illi beatitudini, et in divinis fixus aspectibus, ita i

Digitized by Google

multitudine illius dulcedinis deliciabitur, et in satietate illa gloriabitur, ut irrigationes fontium, vel obumbrationes arborum, vel veritates fructuum, quas illa antiqua et corporalis habuit paradisus, nec velit, nec quærat, cum sit ei Deus fons perennis, umbra refrigerans, lignum vitæ, fructus perpetuus, satietas infinita. In præsenti quidem vita exteriores sensus per hæc visibilia evagantes minus ad unum se colligunt, et minus illius imaginis dignitas intelligitur, eo quod effusa extrinsecus per multa diverticula occupata ratio diversatur. Aliud est imago, aliud illud cujus est imago ; et aliud est similitudo. Similitudo potest referri ad aliquam partem, imago vero integritatem substantiæ repræsentat. Filius dicitur imago Patris, *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* (*Hebr.* I), et forma ejus, quia inter Patrem et Filium nulla diversitas est, nulla distantia, nisi quod Pater non est Filius, et Filius non est Pater.

In Verbo igitur, quod et sapientia Patris est, omnis plenitudo Divinitatis existit, et ipse Filius imago seu figura substantiæ dicitur, eo quod per Verbum vel sapientiam sempiterna nobis revelata sit Divinitas, sicut per imaginem, cum proprie effigiata fuerit, repræsentatur et intimatur nobis cujuscunque rei proprietas. Ego cum me in speculo vel in purissimo fonte intueor, non meipsum video, sed exprimit mihi imago mea omnem habitum meum vel gestum, et, quantum ex facie indicari potest, ipsum mentis affectum, ut ibi videas utrum decolor sim an coloratus, et manifeste intelligas utrum turbatus videar, an quietus. Ideo Filius imago dicitur, quia in ipso Patrem intelligimus, et per ipsum accessum habemus ad Deum, quia illuminans nos Verbum et sapientia æterna in intellectu sui Patris quoque aperit intellectum, quoniam qui videt Filium, videt et Patrem, quia unum sunt Pater et Filius. Ad imaginem igitur Dei, hoc est ad intellectum et notitiam Filii, per quem intelligitur et cognoscitur illa paternitas quæ in cœlo et in terra nominatur, factus est homo, expressa in mente hominis illius lucis plenitudine, illius sapientiæ conformitate, illius gloriæ communicatione communicat homo justitiæ Dei ; bonitatis particeps æternitatis hæres ; rationis consors, in appetitu pacis, in intellectu veritatis, in amore charitatis illam imaginem repræsentans, non ad illam similitudinem tendens, ad quam anhelabat qui dixit : *Ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV), sed ad illam de qua scriptum est : *Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus : cum autem apparuerit, similes ei erimus* (*I Joan.* III). Portamus imaginem cœlestis, cum formatur Christus in nobis, cum in moribus nostris et vita illius generis nobilitas innotescit. Sicut enim exterior facies paternæ generositatis prætendit indicium, et ibi vel pulchritudo, vel deformitas genitoris trajecta est, ut etiam ex vultu intelligas utrum naturalis an adulterinus sit filius, ita in moribus evidentissimum est, si veritatis et justitiæ lineamenta imitantia exemplar divinum, ad cujus inspectionem omnis pulchritudo et honestas depingitur, illam formam cœlestem expresserint, hunc esse Dei Filium et hæredem, quem a paterna bonitate non degenerem indices. Hæc imago in anima, non in carne est ; nec corporis est honor iste, sed spiritus. Exploditur anthropomorphitarum hæresis, quæ, Deum corpus habere mentiens, secundum corporalem effigiem metitur similitudinem divinam, et imaginem Dei membra dicit visibilia circumscriptioni subjecta. Non intellexerant hujus amentiæ assertores quia Deus spiritus est, et quia ad intelligendam divinam essentiam caro et sanguis non prodest quidquam. Secundum quod vir est, ad imaginem Dei factus est ; secundum quod virago, ad similitudinem : *Masculum et feminam*, inquit, *fecit eos* (*Gen.* I). Secundum intensiorem plenitudinem spiritus, vir, secundum remissiorem contemplationis appetitum, femina ; secundum consummationem, neque vir, neque femina, sed in novitate vitæ creatura integra et perfecta. Dominatio igitur omnium quæ in terra, et quæ in aquis sunt, homini data est : et cœlestem in eo omne quod ei subjectum est, reveretur originem, et in proposito suo Creatori obedit, nihil ei venerationis impendens ex communitate naturæ, sed ex prærogativa gratiæ. Rebellia quidem animalia et domita et indomita sæpe adversus hominem videmus consurgere ; sed hanc audaciæ et dissidii insolentiam nihil aliud movet, nisi quod ipse in ordine suo non obtemperat Creatori, qui hoc non ex merito, sed ex gratia accepit, ut creatura irrationabilis ejus moveretur arbitrio et regeretur imperio. Justissimum sane est, ut dissentientem ad omnia undique incommoda urgeant, et in eum qui suam voluntati Cratoris præposuit, undecunque omnium affinium excrescat seditio, et extra in eum excandescat persecutio omnis creaturæ, ut caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem contendat, et qui noluit subesse superiori suo, nulla ei ab inferioribus reddatur subjectio. Magna hominis dignitas, cujus factor Deus, consors angelus, minister mundus, regio paradisus! Ibi inter arbores condensas et umbrosas et opacantia nemora, inter herbas odoriferas, et aromatica gramina, in pratis virentibus, et fontis illius cardinalis vivis emanationibus, inter fructus et visu et usu delectabiles constituitur, in ipsa sua nuditate ostendens quia sicut innocentiam et simplicitatem nulla involvit duplicitas, ita semper fictum animo confusio operit, et circumdat malignitas. Nulla ante transgressionem peccati contumelia quæsivit operculum, nihil ingessit caro pudendum, nihil erat quod esset occultandum, non erat in oculis Domini fœda nuditas, nec aliquid pudendum ubi nulla impuritas. Cæteris omnibus sibi expositis, ab una arbore continere præcipitur, et imposita lege obedientiæ, proprio relictus arbitrio majora statim, si staret in mandato, percepturus, probatur in minimo. Sed quia de operibus sex dierum

Digitized by Google

nos ea quæ sentimus scripturos disposuimus, et hoc ex aliqua parte Deo factum est auctore, alterius laboris erit scribere quid de paradiso, quid de fonte illo, quid de ligno scientiæ boni et mali vel de ligno vitæ, quid de serpente, quid de transgressione, quid de sententia in serpentem et virum et mulierem promulgata parvitati nostræ secundum mensuram donationis quam accepimus videatur.

Factus homo extra paradisum, ne aliqua deesse gratia videretur, in paradisum adducitur, ubi postea de ejus costa facta mulier memoratur. Decebat enim hominem ad imaginem Dei conditum etiam loci illius amœnitas, et licet nulla insontem ubicunque esset posset urgere calamitas, provisa est tamen secundum exteriores sensus in uno loco omnium delectationum stipata collectio, ne si quid ibi deesset in quærendo vel exspectando quod procul esset, fatigaretur appetitus, sed omnium et præsentia gauderet et usu. Haberet in Creatore, si staret, plenitudinem veritatis et pacis rationabilis intellectus, et totam mentem illius unius bonitatis impleret intuitus. Eodem modo etiam haberet homo exterior subjecta sensibus quæcunque suavia et jucunda humanam possunt oblectare naturam, ut esset omnium spiritualium gaudiorum homini summa Deus, et omnium temporalium consolationum sufficientia paradisus. Unde etiam Eden, id est voluptas, dictus est locus ille, et hortus deliciarum propter ubertatem soli, et nemora fructifera. Emanabat e medio fons vitreus irrigans et humectans omne gramen radicitus, nec tamen redundans enormiter, sed elapsu subterraneo totam horti illius aream imbuens. Frondes patulæ in proceris arboribus subjecta gramina obumbrabant, humorque inferior et superior temperies virorem perpetem in cespite nutriebant. Aderat aura meridianis horis, si quis forte erat vaporem abigens et propellens. Locus omnino nivium ignarus et grandinis, et perpetui veris æqualitate jucundus. Erat ex fructibus et ipsis virgultis aromatica conspersio, et ex ipsis truncis pinguedines pigmentariæ erumpebant. Stillabat storax, et liquor balsami ruptis corticibus ultra pavimenti crustas affatim imbuebat. Defluebant per prata nardina unguenta spirantia, et gummis stillantibus sine præli violentia, tota undique regio illa innumeris perfundebatur odoribus. Nihil erat ibi triste, nihil corruptum, quod cætera impediret quia omnia horti illius plantaria, plantatoris sui redolebant virtutem, et cœlestis gloriæ gratiam prædicabant. Sudabant ligna pinguedinem, emissura erat sanctorum charitas puritatem, et in illius suavitatis odore tam prædicationis honestas quam beatitudinis æternæ intimabatur ebrietas. Erat quasi quædam exstasis illa deliniens sensus carnis fragrantia, non tamen consopiens, vel a debitis officiis hominem revocans, sed ad quamcunque operam et studium subtilitatem mentis acuens et emundans. Stacte et myrrha, amomum et spica, et medicata gemina ultro prolapsa glebas fertiles impinguabant, et licet non indigeret natura, copiosiore tamen gratia juvabatur. Non erat febris, et jam erat antidotum; nulla adhuc naturæ defectio, et jam languorum remedia germinabant. Operabatur homo non aliquid novum exercitio laborioso ædificans, sed deliciosa cultura aut elucidans aliquid, aut obumbrans, aut aliqua claustra vel diversoria animalibus aptans, ne passim aberrantia ea maxime loca quibus reverentiam pigmentorum dignitas exigebat inconsideratis passibus conculcarent. Hæc atque alia hujusmodi sine tædio, sine molestia, poterat homo cultor diligens operari: quæ etiam exhilarationi ejus maximæ cooperantia delicatam operam delectabant. Custodiebat autem intrinsecus, non timens ne aliquid sibi raperetur, sed sibi a Deo commendata et subjecta, gaudens in obedientia universorum posteritati successuræ providus conservabat, sibi etiam ipsi conservabat, ne aliquid admitteret propter quod inde mererctur expelli. Atque utinam circa animæ suæ plantaria, et virtutum gramina, ea qua oportuit diligentia, vigilasset, operans utilia et conservans, discens ex inferiorum obedientia quantam Creatori subjectionem deberet! In cujus si perseverasset imperio et custodisset quod fuerat imperatum, solidaretur cito quod adhuc erat in pendulo, et ab hac corporalis paradisi amœnitate deliciarum veheretur in illam spiritualem tranquillitatem, cujus pax omnem superat intellectum (*Philipp.* IV).

De cujus paradisi beatitudine, nos aliqua secundum sensus nostri angustias et mensuram donationis, spiritualibus spiritualia comparantes in sequentibus perstringemus: nunc de corporali paradiso sensibilibus sensibilia conferentes, et secus doctorum limitem incedentes loqui proposuimus. Et de odoribus quidem horti illius aliqua dicta sunt; alia vero quæ ad reliquos sensus pertinent, differenda supersunt.

Erant ibi ligna fructifera quæ gustui et aspectui deservirent, pulchra ad visum, ad olfactum grata, ad omne delectamentum suavia. Singula secundum genus suum propriis efficientiis mancipata, non tam ad satiandum carnis appetitum, quam etiam ad conservandum humanæ naturæ integrum statum. Nihil extra, nihil ultra ea quæ præ oculis et manibus erant, ambire poterat concupiscentia. Totum erat in promptu quod postulabat, non dico necessitas, sed voluptas. Nec erat ulla voluptas aliqua passione desiderii inflammata, nec erat ardor lasciviæ petulantiæ: sed erat in exuberanti copia temperans sufficientia et satietas quietissima. Alia quidem erat arborum gloria, alia fructuum; nec erat ibi quidquam inutile, nihil superfluum, ubi et stipes pinguedinem, et frondes umbram, et poma pabulum porrigebant. Gummi languoribus, umbra ardoribus, cibus defectibus occurrebat. Erant quidem extra, non ultra experientiam nostram illæ dulcedines; sed nos ex consuetis inexperta metimur. Vidi ego ligna quorum folia vel fructus bruma nos

Digitized by Google

urit, et in citro vel pinu quinti vel sexti anni poma immarcescibilia perseverant. Quare ergo ibi, ubi neque horror hiemis, neque ulla intemperies ingreditur, sed continua veris fixa est novitas cum ex ipsius temporis harmonia quæcunque ibi sunt, in augmento sint ; et quidquid vivit, ex natura et ratione materiæ prægnantis parturiat, non dicamus ligna imputribilia, poma incorruptibilia, et efficacissimos illorum saporum vel odorum effectus, adimplendos usque ad sufficientiam omnes vel gustuum vel olfactuum, vel aspectuum appetitus. Quid decrat illi mensæ, illi singulari convivio ubi et oculus pulchritudine, et gustus dulcedine, et olfactus condito spiramine implebatur? Aderat quoque ad deliciarum cumulum fons ille ex vicinis et intra senatis graminibus saporis grati refrigerandi et humectandi calorem intrinsecum habens effectum. Temperabat et mundabat corporis venas, per quas quasi per quosdam tumulos defluebat, irrigans quasi alterum paradisum, et fecundans in genere suo membra singula propriis officiis distributa. Cingebant labia fontis hyacinthini et smaragdini flores, et crustæ purpureæ sedes aptabant intumescentibus glebis, ne recumbentium cervicem vel humeros suspensio aggravaret. Fundebant se humi pro tapetibus strata anetho et croco odorata cubilia, nec mordax cynomyia nudis artubus assidebat : quod genus, si ibi erat, inerme erat, nec terebrantibus spiculis quietis illius delicias infestabat. Et quidem in illis minimis contemptilibusque volatilibus post peccatum miranda est adeo acris efficientiæ importunitas, quæ fere invisibili et omnino fragili stimulo etiam densissimas pelles armentorum penetrans, et, quasi admota spongia vulneri, quidquid intus est humorum vel sanguinis ebibit et exhaurit. Ante peccatum quidem, quia culpa non erat, nec pœna poterat aliqua esse molestia ab inferioribus, ubi superiori suo purum exhibebat famulatum rationis humanæ humilis obedientia, viderer excedere si non describerem voluptatem ; sed quidquid dici potest, minus est ab illis deliciis : quippe deliri et fatui sensus, et labe peccati infecti integris illis et virginibus sensibus quibus pura utebatur natura, omnino conquadrari non possunt ; et omnem hujus corruptionis experientiam illius jucunditatis purissimæ ubertas exsuperat ; et ne auditui desit, quæ demulceat, melodia, superne in ramis cedrorum vel aliarum arborum phœnix vivax psallebat, et psittacus, et multiplici concinentium avium sono una erat consonantia : quorum hilaris universitas laudabat secundum modum suum auctorem suum, in voce exsultationis jubilans Creatori, blandiens homini, movens ad mulcendum eum naturalia organa, et originalis musicæ a Deo condita instrumenta. Gemitus turturis et columbæ hujus temporis suspiria præsignabant. Aliæ singulæ volucres de statu præsentis vel futuræ Ecclesiæ præcinebant quasi quædam oracula ; vel gaudium vel affectum quemlibet in suæ naturæ modo et ratione promentia. Nihil tamen triste, nihil lugubre ibi erat, ubi non varietas concinentium dissonantiam efficiebat ; sed sive per arctas sive per amplas faucium fistulas circumflexiones jubilorum impellerentur, ascensiones et descensiones vocum convenientibus in unum differentiis ad unius puncti revertebant harmoniam. Fistula et sambuca et cætera naturam imitantia organa, quæ satis oblectant hujus temporis auditores, tantum ab illius monochordi vivis et claris vocibus differunt, quantum quidquid aliunde scriptum est discrepat ab exemplari. Omnino minor est gratia in raucis follibus et compactis calamis, sive in testudinibus concavis quæ humanum instauravit ingenium, quam in illis vivis instrumentis quæ artifex natura dictavit. Hujusmodi ad mensam protoplasti excubabant tibicines, tales citharistas habet illa originalis antiquitas, et tamen corporalis hæc erat consolatio, non prædestinata felicitas. In paradiso nec mimus erat, nec histrio. Alludebant sibi cuncta simpliciter, nec deceptoriis illusionibus simulatio personarum scenas comicas exprimebat. Non emolliebat ad lasciviam dissolutas animas sensualitas sauciata, neque extraordinarius pruritus carnalis affectus legitimos terminos transiliebat, intra præceptum se continens ; et formam omnium a Creatore descriptam certis regulis, intra metas præfixas motus voluntarius cohibebat, et quiescebat et abundans in rationabili sufficientia non tabescebat æstuans in intemperantia infinita. Omnis quippe usus intemperans fœda est et turpis abusio, et miserum facit quæcunque non impletur, et certis non utitur ponderibus, et mensuris, et numeris quantumque rerum experientia. Ideoque effreni et dissoluto animo appetitus et usus voluptatum irruit in tormentum, quia vehementia et ingluvies intemperantiæ suppositis stipulis non sedatur, sed irritatur. Non sic ante prævaricationem homo corporalibus illis utebatur deliciis, ut se vagabundus mergeret usque in fæces profunditatis, sed honesto et modesto accessu deliberans universa, præposituræ rationabilis honorabat dignitatem, et dominabatur affectibus suis moderatione discreta, non oppressione tyrannica. In his quæ ex parte aliqua summatim tetigimus, visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, in virginitatis suæ integritate perseverantia, habebant lampades accensas, sine aliqua curiositatis amurca, et puro obsequio, venienti Sponso cum luminibus omnium sensuum occurrebant agmina insopita. De lignis illis quæ in illo horto plantaverat Deus præter ea quæ diximus, multa jam spiritualiter restant intelligenda ; quia ex quadam vicinia sic sibi e proximo bona corporalia et spiritualia jungebantur, ut fere unirentur : et tamen separatim, et proprie visibilia corpori, invisibilia menti destinata suis distinctionibus necesse est adaptari.

Duo tamen de omnibus lignis paradisi Genesecos liber commemorat, lignum vitæ et lignum scientiæ boni et mali : cum multa alia in illa silva densissima non dubium sit fuisse, quia et lignum sapientiæ le-

Digitized by Google

gimus, et aliis quoque arboribus nomina virtutum secundum suas efficientias minime defuisse nullo modo ambigimus. Nec nos materialem plantam illius paradisi corporalis eradicare præsumimus, sed spiritalem fructum in visibili colonia metimur, et de olivis fructum sumimus et liquorem. Et in gemmis quidem quæ inter glareas fontis illius cardinalis volvuntur, et ad nos fluminum allapsu delatæ perveniunt plurimam esse virtutem experti sumus, ita et in arboribus, quæ odore et sapore sensuum nostrorum consuetudinem excedunt, quis dubitet singularem inesse gratiam an diversarum causarum remedia, ut et lignum vitæ senectutis morbum cohibeat, et lignum temperantiæ ingluviei ardorem exstinguat, ita et lignum castitatis ibi procul dubio erat, cujus ejus ita poterat temperare naturam, ut non magis genitales corporis partes moverentur ad copulam, quam reliqua membra : quæ singula sine aliquo titillationis pruritu ordinatis accessionibus sua peragunt instituta. Hoc etiam in ejusmodi languore jam senescentibus et arescentibus causarum effectibus camphora satis efficaciter agitur, et sæpe olfacta vel hausta desiccat receptacula spermatum, et illius negotii instrumenta congelata corrugat. Hoc multa semina radicesque jam fere effetæ efficiunt. Quanto magis virente mundo, et in paradiso, cum omnia primitivi succi novitate et puritate ferverent occurreret non unum quodlibet gramen, sed semen vel fructus obsequio hominis propter quem facta erant et alia quidem secundum hanc, alia vero secundum aliam causam salutis incorruptibilitatis poculum suo propinarent Domino et cultori. Quod si Salomon ab hyssopo quæ nascitur in maceria, usque ad cedrum Libani disputavit, et tot physici inquisitores naturæ per conjecturas vel experientias assequi potuerunt tam profundæ rei doctrinam, nunquid Adam qui fuit Dei, hoc potuit ignorare, cui ex imagine Dei et similitudine hæc erat gratia, ut omnis creaturæ sibi subditæ intelligeret rationem? Novit plane primogenitus ille omnium corporalium temporales vicissitudines, novit causas et motus, et essentias, et effectus omnium quæ sensibiliter et visibiliter elementalis origo produxit et materialis essentia enutrivit. Quia vero boni et mali scientia mentis affectio est nec corporis est scire bonum vel malum, sed singulare et proprium est animæ, res quidem videtur spectare ad naturæ et essentiæ suæ proprietatem ; nomen vero rei, id est scientia boni et mali, ad spiritualem sensum et mysticam intelligentiam. Absit a fide catholica ut alicujus mali creatrix sit illa sempiterna virtus et divinitas ! Procul explodatur illa Manichæorum dementia quæ gentem tenebrarum rebellem Deo, et nescio quæ diversa introducit principia. Procul Paterniani exeant, qui secretas et pudendas corporis partes a diabolo, et non a Deo asserunt factas. Excludatur a sensu Christiano Menandriana impietas et Patriciana hæresis, quorum Menander Simonis Magi discipulus, ab angelis, et non a Deo mundum asserit factum ; Patricius totam humanæ carnis substantiam diaboli esse creationem mentitur. Nec Mambres nec Jamnes creatores fuerunt illorum serpentium quos Moysis serpens coram Pharaone absorbuit ; sed diabolicis præstigiis, virgæ eorum, quæ utique Dei creaturæ erant, versæ sunt in dracones, sicut putris caro in vermes, vel combusta vertitur in cineres. Quis convertibiles neget corporales substantias, cum de carne tua propria lumbricos scaturire, et de veste tineas, et de sudoribus vel quibuscunque putredinibus, vel muscas vel pulices egredi videas ? Accelleratus Magorum effectus, et virgarum in serpentes conversio repentina admirationi quibusdam est et stupori, cum mirum non sit de omni re, quæ fieri potest, utrum tarde an cito fiat, cum etiam quorumdam hominum ingenia ea sub omni celeritate constituant, quæ multo tempore ab imperitioribus et lentioribus vix fiant. Quanto magis illa diabolica subtilitas, quæ rerum effectus et causas ab antiquo cognovit, secretam naturæ virtutem in publicum trahere prævalet, cum aliquid de re occulta efficiendum est in quo hebetes sensus hominum ludificare possit, et a veritate avertere, ut serviant creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula ? Creatura quidem non nisi a solo Deo potest institui, qui nihil malum creavit, sed singula bona, et omnia valde bona (*Gen.* I). Et Moysis serpens, vere serpens fuit, quem cum placuit Creatori, et de virga aptavit in colubrum, et rursum reverti præcepit in virgam (*Exod.* IV). Moyses vero neque auctor, neque creator, sed tamen illius miraculi minister fuit. Ita et columba quæ baptizato Domino super eum apparuit, vere columba fuit, et peracta dispensatione propter quam ad negotii illius ministerium deducta est, iterum ad naturæ illius formam de qua assumpta est, subito est reversa (*Matth.* III ; *Luc.* III). Ita tres angeli, quorum Abraham pedes lavit, quo etiam de panibus quos Sara paravit, et de vitulo quem coxerat ipse Abraham, legimus comedisse (*Gen.* XVIII), non in phantasticis, sed in veris apparuere corporibus, quorum functio, ut acta est, non evanuit, sed est in se reversa assumptio. Hanc formam intelligentiæ custodiri oportet, quoties per verba, vel visibilia signa locutus est Deus vel Adam in paradiso vel ad prophetas, ut scias ubicunque est vox, ibi esse et corpus ; nec tamen quoties locutus Deus per corporalis ministerium creaturæ verbum æstimes incarnatum ; sed sicut diximus, dispensatoria et perfunctoria erat illa corporalis et personalis assumptio, non essentialis naturarum unitas.

Longe digressi sumus occasione hæreticorum, qui Deum vel alicujus mali factorem, vel alium quendam mali astruunt creatorem, ut aliud principium alium artificem vel conditorem ex sanctarum auctoritate Scripturarum emulgeant. Lignum scientiæ boni et mali malum non erat in sua natura, sed fructus vel ante prohibitionem, vel postea, non fuit ; sed ideo sic nuncupatum est quia in illa prohibitione experimentum obedientiæ positum

Digitized by Google

cujus observatio bonum, prævaricatio malum esset. Scientiam quidem mali ante peccatum homo non habuit, id est nescivit quantum malum esset non obedire Deo, sed docuit eum propria confusio et pœna peccati quid esset peccatum. Si enim pœna transgressionem non sequeretur, et idem esset justitiæ et injustitiæ stipendium, nulla esset ratio qua timeretur vel amaretur Deus. Nulla omnino timoris causa esset, si non inobedientia puniretur; nulla dilectionis ratio, nisi amantibus copiosior gratia redderetur. Sciebat Adam non esse violandum mandatum Dei, sed facilem indulgentiam æstimabat, non expertus iram vel judicium, quia nondum severitatem vel supplicium. Oportebat omnino ut ibi statim in primis parentibus rigor inciperet disciplinæ, ne facilis venia in contemptum Dei filios Adam genus humanum erigeret, et creatura prævaricans et inhonorans Deum, non esset in gloriam, sed in contumeliam Creatori. Poterat homo ex peccato diaboli, cujus dejectionem non ignorabat, considerare districtionem judicis, et ex illa irrevocabili sententia quæ illum malignum a spe misericordiæ excluserat, simile formidare judicium. Insani cerebri est et animi delirantis ibi te tibi polliceri veniam, ubi tu provoces iram; in eodem articulo temporis sperare de clementia, in quo contemnitur gratia et conculcatur justitia. Qualecunque sit vinculum vel fœdus societatis humanæ, rumpenda sunt omnia quæ consuetudo alligat, vel natura, ne offendatur Deus. Non est ista Christiana pietas, quæ nos, divinæ obedientiæ auctoritate contempta, in carnales inclinat affectus. Propter conjugii gratiam et complexus uxorios relinquit homo patrem et matrem, et sunt duo in carne una; non tamen deseri etiam debet Deus qui spirituali connubio universum Ecclesiæ corpus in unitate fidei et charitatis compactum, ex conjugio et continentia et cœlibatu unum instaurans corpus et spiritum, ut celebret sibi nuptias modo in spe, in regno vero suo in ipsa veritate disponit.

Scandalizavit Adam oculus suus, id est persuasio conjugis, quem utilius eruisset et projecisset a se, quam blandimentis femineis remisse obtemperans illa peremptoria consilia suscepisset. Nec erat immemor præcepti vel pœnæ, quam, si transgrederetur, ei Deus fuerat comminatus; sed nescio qua spe de Dei clementia præsumens, exiguitatem, non pondus pensabat præcepti. Nec usquequaque mortem verebatur, quam non attigerat; nec forsitan se aliis bonis privandum putabat, quia neque calamitatis secuturæ ordinem illa prohibitionis et comminationis sententia continebat. Comedit de fructu interdicto et facta est arbor illa sciendi bonum et malum occasio unde et ipsum lignum nomen accepit antequam illud tangeret homo, non quia in ligni natura boni esset vel mali scientia, sed quia in transgressione mandati quod de ligno erat, futura erat utriusque rei experientia. Et illico sensit homo quod ante non senserat; sensit malum concupiscentiæ, et pruritum membrorum rebellium: obscenos, et non voluntarios carnis appetitus et motus; et scivit quantum interesset inter libertatem et pacem carnis spiritus, in qua fuerat, et controversiam eorumdem, et stimulos titillatorios, quibus pungentibus et urgentibus moribundos et fermentatos artus, languens anima desudabat. A facie insipientiæ suæ longe factus est a sanitate, miser et incurvatus putres et corruptas cicatrices illusiones lumborum plorabat, et cucurrit ad folia ipse jam folio quod a vento rapitur similis et contextis succinctoriis. Abscondit carnes enormes, et operuerunt, tam ipse quam mulier, jam ardentibus intus libidinum carbonibus, horrendas visu sordium officinas. Et cum eadem prius membra essent, pudenda non erant, quia nihil inhonestum erat in corpore, sed habebant omnia membra in suo ordine congruam dignitatem, venerabilem speciem, usum rationabilem, modestiam competentem. Omnia intra modum nihil contra voluntatem, nulla lex dissentiens, omnia quieta et pacifica tam ipsum Creatorem quam ipsam creatam honorabant naturam. Vere, sicut serpens prædixerat, aperti sunt oculi eorum ad propriæ confusionis cognoscendam miseriam, non ad illius præsumptionis qua dii esse affectaverunt gloriam consequendam. Viderunt se, et erubuerunt, et indignos se judicantes divinis aspectibus, non quasi latere possent vel effugere judicem, sed quasi rei et jam in pistrino propriæ conscientiæ deputati ad molam, sese in aliquibus recessibus timidi absconderunt. Hoc solum verum in omni illa persuasione diabolica fuit, quod aperti sunt oculi eorum, non ad id quod ille promittebat, sed ad id potius sentiendum quod suggestor mentiens intendebat, qui ei quasi successori, parricidali odio invidebat. Hic illius philosophi non incongrue aptatur sententia: « Insidiosissime, inquit, nocet, cui gratiæ aguntur pro injuria. » Mendax in reliquis omnibusque pollicebatur, et detestatione dignissimus, ad illud verbum, quo eos nequaquam mori, sed sicut deos futuros asserit, statim et agnosci et repelli rationis indignatione debebat; sed facilem accessum ad cor feminæ illa habuit promissio, quæ jam ambiebat propriam potestatem, excusso a cervice sua Creatoris dominio. Quod si superba præsumptio jam in mentem ejus intraverat, prius hæc superbiæ quam inobedientiæ rea convincitur.

Hoc aliqui tractatorum senserunt; sed ego pro modo mea ita hunc locum accipio, ut superbiam et inobedientiam eodem puncto concludam, nec ante gustum pomi in elationis malo Evam contabuisse præjudicem. Vere qui in uno offendit, est omnium reus, et ubi mater virtutum charitas læditur, universitas bonorum quasi præcisa radice siccatur. Septem spiritus nequam simul cohabitant, nec facile est alterum avelli ab altero, sed forsitan idem ipse est qui, secundum plures, malitiæ effectus diversis nominibus nuncupatur. Spiritus quoque sanctus dicitur septiformis, cum non sit nisi unus, quia ubi

Digitized by Google

timor castus, ibi est pietas, nec pietati potest deesse scientia; ubi vero est scientia, non deest consilium, et consilio constantia et fortitudo accedit. Sic intelligitur, sic amatur sapientia Dei quæ est Verbum Patris, ubi humilitas mansuetudinem, mansuetudo compunctionem, compunctio fervorem, fervor benignitatem, benignitas puritatem, puritas exprimit pacem. Vides apud Prophetam omnes impietates et injustitias simul in eodem articulo pœnitentibus condonari, et negligentibus et reversis ad vomitum, etiam condonata requiri. Omnis quippe superbus consequenter est invidus, quia propriæ excellentiæ appetitor semper est alienæ felicitatis detractor. Ita prudentia, quæ in bono est, sine temperantia nulla est; et quicunque intemperans est, nec de fortitudine gloriari potest, nec de justitia. Unum est corpus virtutum quod nec schisma scindat nec hæresis, et universitas gratiarum ex radice pullulat charitatis. Fundamentum et origo est omnis malitiæ superbia; et licet ipsa omne vitiorum vulgus parturiat, sic tamen habet in se unita et coessentia sua genimina, ut absque sua sobole nihil omnino efficiat, nec unquam possit solitaria inveniri. Superbivit, et in eodem momento inobediens mulier fuit, nec æstimanda est temporaliter hæc inobedientiæ successio, cum eadem sit et indivisa utriusque connexio et origo. Adulterini surculi lasciviente radice nonnunquam consertis simul manipulis exsurgunt, ita ut virgulas quidem discernas numero, sed incrementi non videas rationem. Unus sapor viti et palmiti, unus color carni et corpori, unus odor ligno et cortici, et omnibus membris humanis licet sint valde diversa et multiplex eorum sit actio, unum tamen principium et indivisa creatio. Unum venenum diversas efficit passiones, et eadem diffusio phrenesim quæ apoplexiam creat, et quosdam quidem eadem tabe subito intercipi et emori videas, quosdam vero diu languere. Duo promissa sunt mulieri, immortalitas et divinitas: neutrum provenit, sed jumentorum conditio, et hominum sub unius similitudinis comparatione et damnatione promulgata censetur. Ecce Adam, in cujus faciem insufflaverat Deus, quasi omnes sensus, quorum ibi sedes est, et domestica cathedra, purificans et fecundans, bestiali irrationabilitate oculos et aures et reliquos sensus ad inferiora repressit, et avertens a spiritualibus divinum intellectum, ventris animal inferioribus membris degeneri paruit famulam, et sensit caro nudata virtutibus caumata et algores; sensit vacuus spiritus putredines et fetores, sensit inanis gloria miserias et dolores. Sic ille idem serpens ausus est in altero paradiso non deliciarum, sed abstinentiæ aggredi Salvatorem, persuadens ut panem de lapidibus faceret, ut se de pinna templi deorsum mitteret, et vecordi dementia ut se dæmonem procidens adoraret (*Matth.* IV); Christus vero qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philipp.* II), sed cum in forma esset servi usque ad præfinitum tempus a Patre, cum esset Deus omnium, serviles terminos non excedens, vitam animæ vitæ corporis præponendam, nec gloriam nec potestatem mundi hujus expetendam edocuit, et proprio exemplo quam facile, si patientia prætendatur, Satanas repelli possit, mansuetissimus magister ostendit. Ad primum sibilum ille primus homo contabuit, de quo post peccatum et damnationem justissimam quasi insultans et increpans Deus dicit: *Ecce factus est Adam quasi unus ex nobis sciens bonum et malum* (*Gen.* III). Hoc schema in Scripturis sanctis ironia dicitur, cum figurata locutio personam vel exprobrantis vel indignantis assumit. Unde Apostolus, solidatis post resurrectionem corporibus, et carnis stimulis consopitis, quasi jam intuens quod futurum erat, exprobrans morti clamabat: *Ubi est victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* (*I Cor.* XV.) Deridebat Apostolus mortem, quæ gloriabatur quasi victrix occiso Salvatore et posito in sepulcro. Et quia in generali resurrectione ipsa mors destructur, applaudebat illi victoriæ, et mortis defectui insultabat. Ita per hanc figuram, Jerusalem civitas sancta, cum jam in mortem Domini conspirasset, per Isaiam vallis visionis invective dicitur (*Isa.* XXII). Utitur in multis locis hoc genere locutionis sancta Scriptura. Unde de Adam dicit Dominus: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum et malum.* Æternitatis honor et omnipotentiæ ad Patrem, sapientiæ et hæreditatis gloria transfertur ad Filium, ad Spiritum sanctum bonitatis insigne. Secundum quas differentias, Trinitatis similitudinem naturæ humanæ integritas exprimebat. Nunc autem sciens malum actione, quod vitare potuerat ratione, privata est æternitate et potentia, hæreditate et sapientia, bonitate et justitia, et a ligno vitæ longe projecta, donec satisfactione condigna expiaretur admissum, et inobedientiæ scelus, malumque superbiæ, veræ humilitatis pœnitentia expurgaret. Ac si diceret Deus: Voluit Adam esse sicut Deus, discat ex pœna et miseria quid tanta præsumptio mereatur; experiatur, excludatur a loci hujus amœnitate, et experiatur quantum distet inter bonum et malum. Non possum satis mirari ad illius tentationis fallaciam, et ad verbi mendacii tam cito animum hominis inclinatum. Sciebat homo quia in animalibus vel reptilibus nullum erat secum particeps rationis. Noverat quippe naturas omnium, quibus et propria aptaverat nomina. Adduxerat quippe ad Adam Deus omne illud viventium genus; in hoc ipso ostendens subjectam sibi omnem irrationabilem creaturam quæ sibi quasi domesticum peculium præsentaretur, ut videret ipse superior et dignior et infra se plebem inferioris generis obtemperantem sibi, Deo jubente, concorditer: quæ etiam quasi propria mancipia, scientem usum omnium, vocaret ex nomine. Hoc est enim scire et vocare ex nomine, propria officia et mores intelligere singulorum. Mugiebant, vel rugiebant, vel hinniebant in genere suo, et, secundum naturæ suæ proprietates, dabant signa, vel sonos, vel m

Digitized by Google

tus, quibus posset eorum affectus intelligi; verbum solius hominis erat. Et si aliquando Deus voce humana loquebatur, non pertinebat ad eum curiose inquirere quomodo loqueretur, cum de loquente non dubitaret quia Deus esset, et posset loqui ut vellet. Qui enim homini dederat verbum, poterat quod suum erat, cum volebat, capere et formare in quolibet corpore. Nunc autem serpens qui contra naturam et blasphemans Deum, loquebatur, utique ex Deo non erat, sed contra Deum auctor et inventor idololatriæ jam plures Deos futuros docebat, et seminabat errorem quos per multitudinem falsorum numinum una et vera ignoraretur divinitas. Nunquid Satanæ præsentia illi notuit feminæ; quem forsitan putavit verum dicere, quia hoc audiebat quod volebat. Solemus quippe cito credere, cum id nobis consulitur quod optatur. Quod si Adam vel Eva scientes diabolum esse qui personaliter in eorum auribus erat, contempto Deo perniciosissimis sese consentaneos tradidere consiliis, hic non tantum scelus inobedientiæ, sed et idololatriæ, fide abnegata, intelligo. Idololatria quippe est, cum quia vel seipsum Deum, vel alium quemlibet propter unum Deum constituit. De serpente enim dubium esse non poterat quin illa verba ex sua non proferret natura; nec erat inter omnes creatura Dei aliqua ratione prædita, persuadendi, vel consulendi, vel ratiocinandi habens scientiam vel potestatem præter solam angelicam et humanam. Constat itaque non ignorasse mulierem quia vere ei diabolus in serpente loquebatur; sed appetitu libertæ potestatis oppressa, quia sine Dei dominio esse voluit, eum qui contra Deum et ad voluntatem suam loquebatur libenter audivit. Confuse aliquando viri et mulieris nomina posita sunt propter corporis unitatem et peccati similitudinem; Adam tamen non ex diabolo, sed ex muliere verba illa audivit, quibus nec restitit, nec contradixit; et licet forsitan non crederet quod diabolus vel mulier suadebant, ausu tamen nefario sese illi actioni commiscuit. Senserunt quidam serpentem illum non verbo, sed signo aliquo prævaricationem illam homini intimasse; sed hæc sententia diversum a re gesta exigit intellectum. Alii nec diabolum fuisse in paradiso affirmant, nisi eo modo, quo vagis et inconstantibus motibus tentationum immittit incendia, quas ideo incendere, vel exagitare dicitur, quia cum corpus ejus omnes reprobi sint, ipse vero caput, non potest diversa eorum esse actio quorum eadem est voluntas. Et hoc opus nihil aliud est quam malitiæ consensus et unitas, per quam communicationem quod nos male agimus ille agens dicitur, et quod ille facit, nos mediante assensu efficimus, sicut in morte Christi quod diabolus, quod Judas, quod Judæi, quod Pilatus fecerunt, vicissim et simul ab omnibus actum est; et antequam commemoraret Evangelium quod intraverit in cor Judæ diabolus, legitur *quia fur erat, et loculos habebat* (*Joan.* XII). Unde et de hac unitate maligni hominis et dæmonis scriptum est, cum maledicit impius diabolum, maledicit animæ suæ (*Eccli.* XXI). Nullum vero inconveniens est si paradisum permittente Deo diabolus intravit, cum apud Job, inter filios Dei legatur astitisse (*Job* I), et in Regum libro circumstante sanctorum angelorum exercitu ad decipiendum Achab spiritus mendax sedenti in solio seductionis suæ obtulerit famulatum (*III Reg.* II). Nec desunt qui allegoricis legibus per serpentem delectationem, per mulierem sensum, per virum mentem accipiat, ut cum delectatio sensum commoverit, mens vero carnali sensui acquiescens delectationis gustum acceperit, de gloria paradisi, id est ab omni bonæ conscientiæ quiete et pace homo foras pellatur; nec jam ad lignum vitæ ei reditus pateat, nisi per misericordiam Dei cherubim, qui est plenitudo scientiæ, infatuatum peccatorem reducat ad sapientiam, inflammans cor ejus ad pœnitentiam per quam solet versari et mutari ultionis sententia, et possunt morti destinati ad lignum vitæ reverti. Jam de sententia expulsionis et maledictionis aliqua essent dicenda, sed de fonte et fluviis qui ex eo procedunt prius pauca tangenda sunt, ne rem tanti sacramenti subterfugisse videamur, non quod singula quæ usque ad Abel et Cain circa Adam acta sunt susceperimus exponenda, sed quia capitulis quæ proposuimus ita circumstantes cohærent sententiæ, ut ea ipsa quæ loqui volumus, quasi multitudinem convivarum affines intellectus ad mensam nostræ dictationis invitent, et intrare compellant.

Non statim post prævaricationem ejectus est homo de loco voluptatis, sed conscio sceleris nihil delicias paradisi conferebant. Tota enim nostra non in loco, sed in mente est gloria, quia non felicem facit locus, sed vita. Quæcunque prius subditam Deo animam delectabant, in tormentum versa sunt transgressori, tum quia sciebat se cito amissurum, nec sibi posse stare quod stans ipse possederat, tum quia quidquid sine Deo potest de temporibus affluere, non implet possessorem, sed semper vacuum et inanem, quantuscunque sit nebularum globus, utrem dimittit. Et hic expertus est homo quam longe esset a deitate quam cupierat, quia jam in latebris nudus quasi miseriæ et turpitudinis suæ operimentum mendicabat. Sane nulla purpura, nullus regiæ dignitatis amictus illius dignitatis quæ ante peccatum erat imitari potuit gloriam. Honestas quippe non egebat diploide, sicut hodie non honestatur, sed celatur turpitudo, quantilibet pretii superducto velamine abscondatur. Absente Deo vere a corde suo misellus pavebat et conturbabatur, et non tam in amaritudine pœnitentiæ, quam in stupore mentis, et rationis exstasi tabescebat. Dilata est aliquantulum sententia; necdum conclamatum erat quia oportebat jam tunc legis formam divino exemplo conscribi, et ante judicium in causis humanis, accusationis et defensionis locum non præripi, sed, datis aliquibus induciis, suspensa interim sententia, ii quibus distrusio pragmatica incumbit in medio

Digitized by Google

actionum suarum munimenta producant. Aut confessus, aut convictus necesse est, servato antiquo ordine, ille sit qui puniatur. Et in hoc quoque pietas divina humanis providit erroribus, ne festinatio, vel impetus, aut ira in rebus inexaminatis veritatem opprimerent, et innocentem aliquem a rationis intuitu caligantibus æstimationibus condemnarent. Arescebat Adam præ timore et exspectatione iræ, et revelatio judicii imminens miseram animam affligebat. Jam non loci temperies, nec prata vernantia, nec obumbrantia nemora, nec ligna fructifera, nec aromatica gramina, nor melodia vocum, non odorum fragrantia, nec fontis illius saluberrimi vivacitas demulcebat, sed totius dignitatis suæ immemor cæteris rebus vacuus, oneratus contumelia, etiam pecora formidabat. Et de animalibus, quod eis nomina imposuerit dubium non est; de cæteris vero nominibus rerum primordialium quæri potest utrum ab Adam an a Moyse inventa sint. Ego æstimo Adam illis fluminibus, quæ in quatuor partes ab illo fonte divisa emanant, aptasse vocabula, quorum primus est Phison, secundus Gehon, tertius Tygris, quartus Euphrates. Nec ratio nominum latuit inventorem; et intelligebat, cum in honore esset, rei profundæ mysterium, verum *corpus corruptibile* jam *aggravabat animam, et terrena inhabitatio deprimebat sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX), et vaga mens jam non vacabat Deo, sed per tumultuantium pelagus discurrebat. Neque jam Creatorem per se, neque ea quæ facta sunt excæcatus considerabat, sed inter passiones et stimulos quibus pungebatur anxius anhelabat. Ipsa nomina fluminum quorum auctor et interpres exstiterat, possent compungere miserum, et utinam spiritum contribulatum, et pœnitentiæ humilitatem pro sacrificio obtulisset, et erupisset de corde ejus fons lacrymarum irrigans universi corporis ariditatem in satisfactionum fluenta discurrens! Non declinasset superbus et vanus in verba malitiæ, nec excusationes in peccatis quæsisset, sed pronuntiasset adversum se injustitiam suam, et forsitan peccati remissionem impetrasset. Sed reprobam animam jam serpens tanquam cinerem manducabat; repebat quippe jam in pectore et ventre illius terreni et animalis, et quæ Dei sunt, non attendentis. Quod si ipse serpente absorpto, vel per remedium confessionis illuso, cucurrisset ad fontem misericordiæ, lotus redisset ad justitiam, recepisset fortitudinem, amplecteretur temperantiam, invenisset prudentiam. Hæc enim sunt intellectualia flumina, de charitate Christi qui est fons vivus, emanantia. Phison igitur primus fluminum prudentiam significat, et ipse circuit omnem terram Hevilath : ibi est aurum optimum, et lapis prasinus, et carbunculus. Phison intelligitur *oris commutatio*, Hevilath *parturiens vel dolens*. In primis quærere oportet quid intellectualis paradisus sit, deinde quid fons ille, postea vero quid flumina quatuor, ut intellectis rerum cardinibus, et quasi per quosdam alveos fluminum narrationis ordine profluente suis limitibus singula coaptentur, ne forte deliciarum et voluptatis materia, si confuse tractetur, quod in propria natura est appetibile, imperitia fiat tractatoris odibile. Corporalem, et spiritualem et intellectualem paradisum esse quicunque sanctarum Scripturarum diligens inquisitor est ex ipsis intelligit, et corporalem quidem in loco, spiritualem vero in anima, intellectualem vero in Deo ratione et auctoritate discernit. In corporali quod Eden dicimus positus est homo, facta est mulier, et benedictio et maledictio in eodem loco pro ratione causarum in humanam promulgata est naturam. Ibi potuit diabolus et tentare et vincere hominem, et multo robustiorem postea expertus est Job, scatentem vermibus, sedentem in stercore (*Job* II), quam illum Adam in loco voluptatis constitutum, manente integra et substantia, et persona. Nec deerat etiam Job linguæ femineæ stimulus, sed irrisit mens solida nugas uxorias, et increpatione modestissima præsumptionem muliebrem virili dignitate coercuit.

Erat utique in paradiso mentis imputribilis inter virtutum delicias, et bonæ conscientiæ gloria nulla ulcerum sanie poterat inquinari. Non erubescebat Job, nec ad occultandam plagam suam diversorium quærebat, qui in arce virtutum pro tribunali sedens, de cunctis labentibus indicabat, nec pavebat a facie Dei, coram quo de innocentia gloriabatur, et interrogatus securissime respondebat. Adam longe aliter se habuit in paradiso, et, ubi omnia cooperabantur profectui, ipse nec percussus, nec attritus defecit, ut disceret infirmata posteritas ex languore et ærumna, quia nulla sine Deo potest esse felicitas, nulla sanitas, nulla pax, nulla integritas. Bona quidem et jucunda erat loci illius voluptas, sed sine Creatore manere non poterat, sine quo nec angelo sursum, nec homini deorsum in tantæ excellentiæ gloria ulla potuit esse stabilitas. Quod si peccati radix non germinasset in homine, nec diffusa tabes agrum hujus propaginis occupasset, locus ille corporalis ita omnia commoda colono suo ultro largiretur, ut nihil omnino deesset extrinsecus, si Spiritus sanctus in corde, quod proprium est domicilium ejus, maneret intrinsecus. Sapor enim omnium illarum deliciarum et tota illius gratia incolatus ex superna constabant dulcedine, et ipse totius illius voluptatis temperies erat et condimentum. Traduni nonnulli doctorum Eliam et Enoch ibi a Deo translatos illa miseriarum experte affluentia vivere e quiescere, donec in extremis diebus perdito ho mini, in quo omnis plenitudo diabolicæ virtutis ha bitabit, pro testimonio veritatis morituri occur rant.

Aliqua in superioribus de loci hujus amœnitate quantum nos, quorum conversatio tota in amari tudine est, sentire possumus, descripta sunt, et, verum dicam, tacta sunt, non definita. Nunc de spirituali paradiso, ut aliquid etiam tangamus urg promissio. Hortus iste deliciarum intus in anim est, hæc pax, hæc fructificatio intus in spiritu, u

Digitized by Google

lignum vitæ est charitas et lignum sapientiæ intellectus Dei; et ubi est lignum scientiæ boni et mali veritatis et falsitatis discretio; ubi est lignum justitiæ, sua cuique reddens rationabilis et ordinata distributio. Omne illud virgultum virtutes fructificat, et producit charismata, et, quasi surculæ palmitum bajulæ, sunt ibi quodam sustentacula, quibus vitis onusta incumbit, et famulantur sibi et ad invicem genimina illa gratiarum subserviunt. Abstinentia castitati obsequitur, innititur orationi devotio; in timore humilitas, et in amore mentis puritas requiescit. Nihil vacat in vinea sanctitatis, ubi nec folium cadit, et omnis pampinus aliquis est gradus justitiæ; ubi etiam vimen in vite, hoc est quod tota in lege. *Lex per Moysem data est* (*Joan.* I). Evangelium per ipsum verbum Dei expositum ligna imputribilia, quod volumina emiserunt, tam longe et late palmites extenderunt. Scripturarum propagines mundi climata impleverunt, et de fructu doctrinæ sanctæ plena eructat Ecclesia. Ad has arbores præcidendas diu scrutantes scrutationes laboraverunt hæretici, sed plantatio cœlestis vexationibus non defecit, sed crevit; decorticaverunt ramos, folia combusserunt, sed, elisis fructibus vel ipsis etiam ad solum arboribus dirutis, radix illæsa, et vivacior perseverans multiplicius pullulavit, nec est ex præcisione imminuta, sed aucta. In pace confessio, in tribulationibus claruerunt martyria, et sæpe scissus persecutionum vomere ager Dominicus copiosiorem reddidit segetem. In contemplatione Dei carnalis mens, corporis abstersa rubigine, climata et defæcata profecit, et fructus uberes spiritualis cultura de exercitatione religiosa produxit. In paradiso animæ, in horto bonæ conscientiæ, in munditia cordis pax Dei gaudium parturit, et pura fides in veritate quiescit. Justitia disponit omnia suaviter, temperantia moderatur concorditer, sapientia docet, fortitudo corroborat, oratio mundat, abstinentia omnem labem desiccat, spes confortat, humilitas regnat, patientia imperat. Hæc in illis beatitudinibus quies vel gloria animæ, sinus est ille Abrahæ in quo dives ille Lazari animam vidit (*Luc.* XVI), vel illa felicitas quam latroni Dominus de cruce promisit (*Luc.* XXIII). Quidquid videt oculus, vel auris audit, vel in cor hominis ascendit, non est illa quies quam diligentibus se Deus in vita æterna pollicetur. Odoramur tamen pacem illam, quæ omnem superat intellectum, et infra est quidquid vel æstimari valet, vel comprehendi. Nec locus est, nec sonus, nec odor quidquid illud est, nec tangitur, nec videtur; sensus carnis corporeis dimensionibus vallatur et clauditur, et tantum in crassitudine suæ naturæ volvitur et moratur. Ipsius quoque spiritualis acumen naturæ licet subtilissimum sit, reverberatur tamen superioris lucis splendore, et nihil omnino potest præter illam solam Dei sapientiam quæ a fine usque ad finem attingit. Ideoque in creatura nulla potest esse plenitudo beatitudinis effectum; et cui aliquid deest, nullum efficit consummatum. Nullus corporeus locus, nullus incorporeus spiritus ex propria natura plenas habet delicias, quia plenitudo totius est, non partium, et necesse est ut omnis pars minus continens ad fundatorem suum recurrat, in eo finem figens, a quo habet initium.

Hic occurrit quod idem Apostolus dicit se *raptum usque in tertium cœlum, et audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Nescio*, inquit, *Deus scit, sive in corpore, sive extra corpus* (*II Cor.* XII). Raptum se scit, sed de modo dubitat, de quo omnino non ambigeret, si alterum possibile, et alterum impossibile videretur. Nunc autem, quia et cum corpore potuit rapi, potest intelligi corporalis paradisus etiam in cœlo, licet quasi diversa et cœlum posuerit et paradisum, quod si eum raptum in corpore diceremus, necesse est ut cœlum illud corporeum intelligamus. Si vero in spiritu, jam non locum, sed aliquam intelligibilem tranquillitatem visionis divinæ accipimus. Deinde præter solam Christi personam quæ primitiæ dormientium surrexit (*I Cor.* XV), unus inter mortuos libet de nullo manifeste Scripturæ tradunt canonicæ quod jam duplicia in terra sua possideat (*Isa.* LXI); vel quod corruptibile hoc ante generalem resurrectionem, induat incorruptionem vel mortale immortalitatem (*I Cor.* XV), ut taceamus modo de ipsa theotoco, vel de his qui cum Christo resurrexerunt: quam et alia est, et nodosissima quæstio. De Paulo, quantum possumus, quod cœpimus persequamur. Certe cum hæc scriberet, in carne erat, et in ea carne de qua alibi scripserat: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII). Et post cætera: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*ibid.*) Et datum sibi stimulum carnis suæ, angelum Satanæ colaphizantem se ipse testatur (*II Cor.* XII). Quomodo in corpore rapi potuit sursum, nisi forsitan eo modo quo raptus est in Babylonem Abacuc a Judæa (*Dan.* XIV), vel Philippus de Azoto in eunuchi occursum (*Act.* VIII)? quod si aliquid hujusmodi a Deo contra naturam fit, res miraculi est et virtutis, nec debet in illa æterna ratione quæ voluntas Dei est, aliquid humanæ rationis ausus detrahere.

Potuit tamen illa Pauli temporalis, imo momentanea assumptio eo modo fieri quo transfiguratus est Christus præsente Petro et Joanne et Jacobo, quando Moyses et Elias etiam ipsi glorificati visi sunt cum eo (*Matth.* XVII). Passibilis quidem adhuc erat Christus, et ante resurrectionem resurrectionis gloriam ostendit discipulis non solum suam, sed eorum pariter qui assistebant. Ita potuit Paulus configuratus ad horam illi gloriæ quam prædicabat, et in similitudinem spiritualium corporum quæ resurrectio reformabit, sine sensu alicujus infirmitatis, sana et purgata tota natura ad tempus sursum transferri, ut videret et audiret aliquid amplius præ participibus suis, qui plus omnibus in periculis et diversis laboribus ædificans Ecclesiam desudabat. Et sicut Petro adhuc mortali mare fuit calcabile (*Matth.* XIV),

Digitized by Google

ita potuit Paulo in corpore cœlum fieri penetrabile. Si vero Paulum raptum in spiritu dicimus, jam nulla est quæstio, quoniam vere omnem corpoream et spiritualem creaturam in contemplationem Dei transgrediens, fixus et in Creatore quiescens, nec infra manere vir plenus Spiritu Sancto nec transgredi majestatem præsumebat. Ascenderat quasi duas scalas, rationabiles creaturas, et per ea quæ facta sunt, ad Creatorem quasi ad tertium cœlum pervenerat. In ipso quippe intellectualem paradisum esse credimus, ad cujus gloriam in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV) ad sonum novissimæ tubæ occurrentes resurgemus, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* IV). Corpus humilitatis nostræ illi divinæ configurabitur claritati (*Philip.* III), et regem in decore suo in splendoribus sanctorum fides Christiana videbit; imo neque fides, neque spes exspectationis dilatione ibi languebunt, cum regnum solius apparuerit charitatis. Ibi nihil per speculum, neque in ænigmate, sed facie ad faciem illud summum bonum videbitur, et cognoscemus sicut et cogniti sumus (*I Cor.* XIII). Videbitur Christus, intelligetur Deus, implebit corda omnium Spiritus Sanctus. Comprehendetur modo incomprehensibilis Trinitas, et arcana Divinitatis universæ patebunt Ecclesiæ. Cessabunt ministeria angelica, nec opus erit legationum discursu, cum civitate Dei perfecta et electionis universitate intus collecta, et omnia omnibus existente, tunc vere in cubito omnia fuerint consummata. Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Unum erit gaudium, de stabilitate securitas, una erit pax, sufficientiæ æternalis tranquillitas. Patebit veritas, implebit charitas, et erit integra corporis et animæ sanitas. Fulgebit sicut sol glorificata humanitas, quieta erit et concors spiritus et carnis societas. Angelorum et hominum unum erit consortium, unus panis utriusque et unum convivium. Non languebit amor, non liquefiet dilectio, præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio. Inebriabuntur ubertate gloriæ illius Patris benedicti, satiabuntur a multitudine dulcedinis omnes electi. Non erit eversio mentis illa ebrietas, sed oblivio ærumnarum et lætitiæ sanctæ perennitas. Nec erit gravis aspectui lucis illius immensitas: imo tota erit illius summa beatitudinis, quod intelligitur in suo puro esse sincera divinitas. Videbitur et cognoscetur, intelligetur et amabitur Deus: et hæc visio vel cognitio, intellectus et dilectio tota erit illius felicitatis perfectio, quoniam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; sed in laudibus tuis humanæ linguæ succubuere præconia; nullus stylus, nullus te expressit affectus. Magnum est quidquid in te oculus corporaliter videt, majus quod sapit spiritus, amplius quod percipit et fruitur perspicax intellectus. Videt in te oculus carnis omnem materiam, longe aliter videt spiritus materiæ rationem et causam, omnino dissimiliter, purgata mens ipsam intelligit veritatem. Spiritualis quippe visio utitur ænigmatibus et figuris, et per quasdam similitudines animum circumducit; mens vero ipsam rem sicuti est, absque aliquibus phantasiarum simulacris ad liquidam intuitu mundo intelligit. Vidit Balthasar articulum manus scribentis in pariete (*Dan.* V): et quod viderat spiritu retractans jam aliter in cogitatione conspexit. Sciebat et videbat intus per spiritum quia quod ostensum fuerat visibiliter, rei arcanæ signum esset, quam utique nesciebat. Adductus est in medium Daniel qui spiritu prophetico mente vidit, et quid sibi vellet visio, protinus intellexit. In illo regno licet totum quod ibi est sit honor et gloria, gloriosior tamen et dignior præ omnibus iste est intellectus, et hæc est visio Dei implens et satians cor hominis. Ipsa est tertium cœlum, tertius paradisus. Ibi est finis, ibi est unitas, atque idem finis, quia nulla diversitas. Non erit in illa pace linguarum varietas, sed morum et affectuum concors et amica societas. In torrente voluptatis illius nihil ultra appetet cumulata satietas, et omnium tristium immemor tantum mente excedit Deo lætabunda ebrietas. Et licet pro meritis sanctorum diversa sit et gloria, non tamen erit diversitas vel minoribus in invidiam vel majoribus in superbiam, quia in distributionibus coronarum tanta erit discretio charitatis, ut et ordinem teneat, et communem omnibus gloriæ dignitatem exhibeat. Beatifica divinæ majestatis præsentia omnibus erit omnia, et erit in commune omnium omnipotentia, omnium sapientia, omnium justitia, omnium pax, omnium intelligentia, et a regno illo omnis excludetur malitia. Quasi vellicans aliqua de ligno vitæ folia, ad illius fructus gustum suspirans vix aliquem succum de corticibus expressi. Neque enim in cor hominis adhuc ascendit id quod latet intrinsecus, et medullam illius dulcedinis nullus adhuc attigit intellectus. Sane fides loquitur, spes non confunditur, et nos interim charitas consolatur.

Fons in medio paradisi recte intelligitur charitas, quæ arescentibus aliquando prophetiis et linguis, pleno semper gurgite fluit, nec unquam siccatur. Nihil fecundius irrigat, nihil efficacius mentem impinguat, quam ipsa charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Nec charitas fons sanctorum est proprius, nec ad hunc potum quisquam admittitur alienus. In linguis, in fide, in abstinentia et signis, in eleemosynis, in martyriis simul boni et ficti communicant, sola charitas ab impiorum se cœtibus absentat, et, si defuerit unius hujus pura affectio, sterilis est cujuscunque æstimationis videatur religio. Christus quippe est charitas, sincerissimus liquor, virtus mundissima, refrigerium animarum, purificatio mentium; nec vasis inquinatis mera spiritus bonitas illabitur, nec quisquam immundus unctione illa regali linitur. Charitas quippe est amor, et qui non amat, amari non potest. Qui diligit non negligit, nec otiosa unquam potest esse dilectio; sine dilectione confusa est et indiscreta omnis oblatio, et omnino peccas,

Digitized by Google

si non dividis priusquam offeres. Non indiget Deus, nec sub nomine pietatis cruentum vult esse satellitem; nec oppressorem pauperum, nec conductitium judicem, quasi ipse ad illas recumbat delicias quas de suspiriis et sanguine miserorum exsecranda exstruxit crudelitas. Qui diligit non offendit, et si forte ceciderit, ruentem excipiens charitas mater manum supponit. Nec erumpit in flumina lacrymarum, et in pœnitentiæ gurgite lapsos baptizat et renovat et elisos illico restituit et reformat. Occurrit compunctis, suscipit pœnitentes, quos tamen ipsa et afficit et compungit. Solos illos qui in malitia perseverant abhorret et fugit; et licet prophetes vel ardeas, licet jejunes vel montes transferas, licet in pauperum viscera quidquid possides congeras, tu si peccati servus es, in vanum laboras : nec in visceribus charitatis ullum locum ficti cordis habet duplicitas. Hæc est origo illorum quatuor fluminum quorum nomina supra posuimus, quia de charitate emanat prudentia, fluit justitia, fortitudo erumpit et temperantia. Ex iis cardinalibus bonis sub alternis discursibus, rivuli et minoris famæ fontes, secretis meatibus omnem aridam imbuunt, et ex harum torrente virtutum totum nascitur, unde homo proficit et mundatur. Omnis intellectus rationis, et mentis discretio sub sapientia militant, omnisque actio ordinata, et mensura et pondus, et omnis æquitas ad justitiam se inclinant. Honestas morum ex temperantia, ex fortitudine vero patientia nascitur, et item ex iis subdivisionibus innumeris series gratiarum multiplicibus voluminibus per diversoria animæ illabitur, neque ista diffusio perpetuis exundationibus minuitur, augetur. Phison itaque qui est *oris commutatio* significat sapientiam vel prudentiam, ut diximus, quæ circuit omnem terram Hevilath, quia vere hoc prudentiæ opus est, mutare et convertere irrationabiles et animales homines in cognitionem Dei, et laudem. Animales enim nascimur, sed per doctrinam sapientiæ illuminati, spirituales efficimur. Unde Apostolus : *Non prius quod spirituale : sed quod animale, deinde quod spirituale* (*I Cor.* xv).

Mutamus igitur os, et purgatis illo prophetico carbone labiis, non erubescimus, sed prædicamus improperium crucis, nec irridemus sicut vani philosophi, quod Verbum factum est caro, sed gloriamur in humilitate omnipotentis Dei, certi quia sicut ejus uniti sumus personæ, ita uniemur et gloriæ. Exuimus veterem hominem, et induimus novum, mutamus pellem peccati, et succincti munditiæ baltheo currimus expediti (*Ephes.* iv). Mutamus os, et ipsi quæ probavimus condemnamus, et in nos ipsos severissimi judices vanitatum et voluptatum consuetudines præscribimus et delemus. Irascimur et indignamur quod tales aliquando fuimus, quales nos sine horrore et tormento non possumus reminisci. Mutamus os, cum sepultis vitiorum monstris, quasi resurgentes ex mortuis ablicamus quod volumus et veritatis causam coram hominibus ratione, coram Deo zelo et constantia allegamus. Sic terram Hevilath quæ *lutum* vel *partum* significat, sapientia circuit, quia cum omnis creatura usque adhuc ingemiscat, et parturiat (*Rom.* viii), non est sapientis hilarescere in loco formidinis, nec ibi quærere cubiculum pacis, ubi est torcular doloris. Non invenitur prudentia in terra eorum qui vivunt suaviter, sicut Job ait; quippe in locis humentibus et secreto calami sub umbra dormiens (*Job* iv) Satanas commoratur. Panem arctum et aquam brevem prædicat Isaias (*Isa.* xxx), et David ex verbo Dei per Spiritum sanctum per vias duras ingreditur. In multa sapientia, multa indignatio, et qui apponit scientiam apponit dolorem (*Eccle.* i), quia vere adversus vanitatum amplexus semper indignans ratio colluctatur, et laborat sanctimonia, ne adulatione titillatoria mentis integritas corrumpatur. Nullus in hoc labor est effeminatis et mollibus, qui ultro se ad omnem divaricant corruptelam. In tentationum infirmitate, virtus servorum Dei perficitur et augetur, et ex luctu compunctionis, devotio sancta gaudium concipit. Circuit pœnitens, et per intimos animæ suæ recessus sparsa congerit, et fasces alligat admissorum. Circuitus contra circuitum, quia flexibile corpus gyrat draco volubilis, et perplexis innodationibus vagos et improvidos usque in labyrinthum impellit, et immersos tenebris in desperationis abyssum concludit. Omnia mens divino timore compuncta discutit et retractat, luget in peregrinationis exsilio tentationibus exposita et ærumnis; plorat, quia ignorat, et errat, quia concupiscit; et tabescit, quia non bonum quod vult, hoc agit, sed malum quod odit, hoc efficit. Flet quia mutabilis et instabilis per inania rapitur, quia fragilis et corruptibilis carnis sarcina aggravatur. Quocunque se verterit, luctus causa occurrit, et sicut sit cum libitinarii efferunt funera, cum prosequens agmen lugubri conclamatione commoritur, ita sapiens in omnibus novissima sua commemorans ante mortem, causæ suæ dictat judicium, et quasi jam præsente cadavere fodit sepulcrum. Plangentium multitudo et subsequitur et præcedit, quia et de præteritis, et de præsentibus multum est quod seipsum quisque examinans lugeat, ubi tota vita adversus peccatum clamat, et ut aliquid amplius inferam, nec ab illusionibus ipsa sunt somnia aliena. Inter hujusmodi meditationum circuitus, inter lacrymas quas contriti spiritus turbo effundit, quasi ex matutino roro pinguescit devotio, mundatur intentio, et fructificat contemplationi divinæ affixa fecunda oratio. Nulla est omnino comparatio inter luctus sanctorum et gaudia reproborum, quia hæc carnalis prosperitas semper auspicatur supplicia, et corrosus animus flagitiorum aculeis a flammarum ultricum exustione formidat. Nulla pacis veritas, nulla veri gaudii in transgressorum corde tranquillitas, in quorum conscientiis jam ante tempus incendia sua gehenna præparat, et ad lacerandam peccatricem carnem

Digitized by Google

vermes horribiles, et terribilia dæmonum monstra dentes jejunos exacuunt. Hos interim stimulos, has vepres voluptuosa modo patitur præsens felicitas, sed adulatur sibi, et spe incerta blanditur prolongans iniquitatem, et extendens malitiam, donec subito veniat finis et culpæ et vitæ, et sit infinita pœnarum exactio pro scelere.

At sancti quorum vitam in derisum et in similitudinem improperii æstimabat mundana dementia, quorum luctus et jejunia videbantur insania, linguis ardentibus et modo saginatis faucibus stillam refrigerantem infundent; sed manebit utrorumque pro meritis immobilis et fixa sententia. Ideoque luctus eorum, etiam in vita præsenti non est cœlestis expers lætitiæ, nec consolatione caret divina : quæ utique in conscientia pacem, et gloriam, et in proventu amplius gaudium protestatur, cujus ipsa, quæ adhuc in spe est, delibatio denuntiat quantæ excellentiæ futura sit illius gloriæ plenitudo. Invenitur quippe vel in ipso flumine, vel in terra Hevilath, quam præterfluit optimum aurum, et carbunculus et lapis prasinus. Sane in prudentia, quæ est ipsius contemplatio veritatis, quia quam nemo potest eloqui, ideo potius eam concipit quam parit, aurum est, id est purgatissima recte vivendi disciplina, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi excocta nitescit. Habet et carbunculum, cujus fulgor nocte non vincitur, quia veritas nulla falsitate fuscatur. Habet et lapidem prasinum, id est semper virentis æternitatis intuitum, et vitæ perpetuæ immarcessibilem statum. Est igitur Phison qui est *oris commutatio* propter causas quas diximus primo loco, quasi necessaria ad intelligendum, ad discernendum, ad standum, ad resurgendum, ad manendum prudentia, in qua est disciplina rectitudinis, veritas agnitionis, via perventionis. Secundo loco Gehon ab illo paradisi fonte egreditur. Hic est Nilus qui notissimo cursu Ægyptum cingens exundationibus annuis certis temporibus et mensuris visitator munificus universæ regioni illabitur, et dilectus maritus agriculturæ illius gremio commistione optata non tam solum, quam arbusta fecundat. Significat hoc nomen vel *pectus*, vel *hiatus*. Fortitudo secundum nominum interpretationem, fluvius iste accipitur, quia robur in pectore maxime constat. Juxta hunc fluvium filii Israel in Ægypto constituti, primum de esu agni accepere præceptum. Sed et de lumbis succingendis promulgata est cautio, quia expeditos esse oportebat divinis obsequiis mancipatos, nec holocaustorum solemnia ab impuris agi decebat. Opus quippe erat fortitudine ad renes stringendos, ut castitas, quasi quidam hiatus terræ, omnes absorberet corporis passiones, et intra se omnem carnis petulantiam sepeliret. Hæc castitatis virtus in qua summa fortitudine et totis opus viribus est, per Æthiopiam quæ vilitatem significat, fluit, quia vilissimæ carnis nostræ exstinguit incendium, et lavans sordes turpitudinum resumpta virtute ad integritatem revocat inquinatum. Quam nigra est passionum exusta ardoribus pellis peccantium! quam vilis caro quæ se fœditatis facit mancipium, et omnium immunditiarum sentinam! Quam vilis facta es iterans vias tuas, hoc ad personam peccatorum dictum per prophetam intelligimus, quos utique exsecrabiles constat esse et viles propter lenocinii obscenitatem, cui se impudenter prostituunt, et animam, quæ Dei templum erat, contumeliose Spiritu sancto repulso, fœtoris prostibulum, imo ipsius Satanæ lupanar constituunt. Hæc fortitudo eorum est, qui ad immolandum agnum de populis segregantur, qui antequam legem in Sina accipiant, de continentia instruuntur (*Exod.* XIX). Antequam propositionis panes edendos sacerdos David concedat, utrum continuerit, et mundus sit diligenter inquirit (*I Reg.* XII). Aruerat torrens fortitudinis, jam desiccatis plebis Israeliticæ fæcibus, cum thurificantes Beelphegor et idolis initiantes Madianitarum amplexibus captivas animas submiserunt, prævaricationis apostasiam pro pretio turpitudinis prætendentes. Nec defuit zeli fortitudo in fremente per spiritum Dei Phinee sacerdote, qui illius impudentiæ ultor adulterum simul cum scorte in ipsis natibus, pugione immerso per illius fœdi commercii fabricam una impressione transfodit (*Num.* XXV). Et illico quievit quassatio, et iterum ad canales suos Gehon reversus non est indignatus, nec abjuravit beneficium, eo quod essent, imo fuissent prædicti viri Æthiopes, id est viles; sed iterum sparsum recollegit exercitum, et de infirmis sanitati restitutis rursum multifariam celebravit victoriam. Tertius fluvius est Tygris qui vadit contra Assyrios, et significat temperantiam quæ resistit libidini multum prudentiæ consiliis adversanti. Tygris quippe *velox* interpretatur, in quo ipsius temperantiæ alacritas intelligitur. Assyrii quippe *dirigentes* lingua Latina sonant. Vide quam velociter qui temperans est per dirigentium regna elabitur, quam directa sit temperantiæ via, cui nihil quod impediat occurrit. *Omnia licent*, ait Apostolus, *sed non omnia expediunt. Omnia licent; sed ego sub nullius redigar potestate* (*I Cor.* VI). Temperantia nec ad illicita, nec ad licita respicit; sed et per ipsa licita in neutram partem declinans regia via incedit. Hæc nec tangit spurcitias, nec ad aliquam inhonestatem accedit, indignatur ad voluptatis mentionem, nauseat ad olfactum. Non quærit tenebrosas crepidines ad impudica cubilia, nec theatrales fornices ad turpia perpetranda. Intra sese colligit, victrix sui ipsius et legitima dominatione, omnibus suis imperat affectionibus. Omnia infra se conspicit, nec ultra rationabiles metas etiam indulta transire permittit. Quarto loco Euphrates ponitur qui *fecundus* vel *fructificans* interpretatur. Ipse est quem Auxen, eo quod foveat et augeat, Assyriorum et Hebræorum volumina nuncuparunt. Hic congruæ justitiæ præfert insigne, eo quod ipsa plurimum in genere humano fructificet. Nulla quippe virtus abundantiores fructus facit, quam justitia et æquitas, quæ magis

Digitized by Google

aliis quam sibi prodest, utilitates suas negligens, communia emolumenta præponens. Nec dictum est de hoc fluvio, qui justitiæ adaptatur, contra quid vadat, aut quam terram circumeat. Justitia enim ad omnes animæ partes pertinet, quia ipse est ordo et æquitas animæ, qua sibi tria ista concorditer copulantur. Reliqua quippe in suis cursibus elaborant, quia prudentiæ stat ex adverso malitia, et fortitudini incontinentia ; et temperantiæ crapula, et quidquid modum non habet, obsistit, justitia vero, quia est omnium virtutum convenientium in unum grata concordia, non ex reliquis virtutibus, sed ex se ipsa agnoscitur, quia ipsa est pax et totius unitatis sanctitas, habens in se et totum et singula, nec tamen in singulis tota.

Consummatis quæ de paradiso, vel fonte, vel fluviis nos dicturos promisimus, ad Adam reverti nos cogit propositum, qui ut diximus, post peccatum ex propria nuditate confusus intra alicujus glebæ, vel scopuli crepidinem, a conspectu Dei carnis prurientis contumeliam pavidus occultabat ; nec jam sola confusio mentem stupidam stimulabat, sed jam fames, et sitis, et frigus, et reliquarum calamitatum moles miserum affligebant, et hoc maxime quod ipse judice conscientia, intus in omni amaritudine anxius tabescebat. Quod ubi ad eum vox illa pervenit : *Adam, ubi es?* (*Gen.* III.) consternata est peccatrix anima ; et penitus dissoluta, quia deprehenso in scelere, nec subsidium erat, nec patebat effugium. Deambulabat autem Deus ad auram post meridiem cum vocaret Adam, in vocatione increpationem, in deambulatione migrationem significans, quia jam tepescente charitatis fervore, et veritatis luce ad vesperam ignorantiæ propinquante, deserto homine de corde ejus migrabat, et lento incessu protrahens allocutionem forsitan ideo morabatur et pedetentim accedebat, ut si compunctus homo in illo quantocunque spatio cognosceret facinus, et seipsum judicans pœniteret, vel ex toto dimitteretur flagitium vel aliquid statueretur clementius in humiliatum. Non, ut ait Ambrosius, de paradiso voce corporea Dominus Adam appellat, sed virtute quadam et præstantiore quam vox corporis potest esse, oraculo eo scilicet modo quo prophetas alloquebatur, vel ipse Moyses clamasse legitur, cum nullus audiretur sonus vocis, sed mentis. Interrogatus latebrarum causam et confusionis nuditatem fatetur, cum amplius de ipso peccato quam de pœna peccati verecundari debuerit. Erubescebat quidem de rebellione animi, de virtute peccati, de irrepente tinea voluptatis ; sed abundantiore pudore super hoc affici debuisset, quod veste nuptiali spoliatus de illius convivii gloria ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores præcipitari meruerat. Tulerant præcedentes virtutes operimenta dignitatum quibus ornabant Adam, dum obediret Deo, et relinquentes spoliatum in medio transgressorem contumelia affecerunt. Jam texebat miser folia mendacii, et excusationis ordiens telam, non confitebatur errorem, sed quasi subtegmen involvens arundine, et intra suspensos telæ diffundens parietes, responsione cavillata, latenter in auctorem erroris causam refundebat et culpam. *Abscondi*, inquit, *me, eo quod nudus essem* (*ibid.*). Vere non consilium contra Dominum est, qui *comprehendit sapientes in astutia eorum* (*I Cor.* III), cui loquitur omnis conscientia, et aperta sunt mentis arcana, cujus intuitum nec inferni chaos impedit, nec abyssus obfundit. Videbat quippe ipse miserum, nec tamen ab illo videbatur, sed tantum audiebatur. Mundo corde videtur Deus (*Matth.* V), a quo beatifico aspectu tollitur impius (*Isa.* XXV). Audiendi et respondendi non negatur effectus, quia in examinatione causæ, cum secundum districtionem justitiæ negotium agitur, necesse est quibuscunque tergiversationibus lubrica industria abutatur, ut ex ore suo coram illo judice reus quilibet convincatur.

Mulier, inquit, *quam dedisti mihi, dedit mihi de fructu, et comedi* (*Gen.* III). Velit nolit, fatetur transgressionem, sed latenter imponit Creatori pondus peccati, qui deceptionis aptaverat instrumentum, et quasi muscipulam in quam collaberetur, solatium collaterale tetenderat. Abominanda suspicio et adversus bonitatem Dei scientia pervicax, sensus malignus, responsio impudens, et ex hoc ipso solo, etiam si aliud in causa non esset, homo morte dignissimus : quod æstimare potuit mulierem sibi in insidiis positam, et se artificiosa inductione circumventum, atque secundum justitiam se non meruisse damnationis judicum, qui non suo appetitu, sed suasu feminæ quam dederat ei Deus, ad prævaricationis declinasset consensum. Imo illam nuditatem perperam sibi illatam, et præjudicatam sibi nimis propera animadversione conqueri videbatur, nec agit secum ordine æquitatis, cum ipse qui dederat legem, debuisset removisse et scandalum et reprehensionem non in eum qui ceciderat, sed in eum deberet refundi qui casus posuerat instrumentum. Hoc illa Adam excusatio continere videbatur redarguens Deum, et contendens ausu seditioso contra tranquillitatem et verissimam justitiam Dei, quæ adhuc ad pœnitentiam in multa patientia reum exspectabat, cum ipse secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizaret sibi iram in die iræ (*Rom.* II). Justissimo ordine post virum, feminam alloquitur Deus, quæ pertinaci superbia, et ipsa admissum excusat, serpentem suasorem deducens in medium. Deceptam tamen se dicit, amplius dolens quod diaboli promissio effectu caruerit, quam quod ejus suggestioni assensum præbuerit. Quia igitur neque vir, neque mulier confessionis, vel pœnitentiæ excogitavere consilia, sed addentes prævaricationem inanium argumentorum complexionibus, ad Deum injustitiæ convincendum laborabant, in superbas et exasperantes animas peccati cumulus est refusus, et oppressit subita ruina iniqui ponderis stipatores. Et ordinatissima rectitudine a serpente incœpit judicium, ut qui fue-

Digitized by Google

rat suggestor peccati, esset particeps et tormenti, et qui ad casum consentientium sibi fuerat gratulatus, haberet ex malitiæ merito quod doleret, et in pœna æmuli sui intelligeret homo, judicis charitatem, cum quasi invitus et coactus proscriptionis videretur dictasse sententiam, qui diu exspectaverat lapsi pœnitentiam, et tanta indignatione suggestoris puniebat malitiam. Nihil quæritur a serpente, nulla omnino interrogatio flagitii sciscitatur originem, quia illa in vanum volvitur quæstio quæ sine fructu est, et quam nulla comitatur correctio. Verum cum ille jam judicatus esset qui ab initio in veritate non stetit (*Joan.* VIII), quid sibi vult quod novi constitutio edicti legi antiquæ conscribitur, et quasi minus continentia illius plebis scita plenam juris mensuram non habuerint, nova adduntur decreta? Ego existimo librum dispositionum cœlestium et divinæ paginam providentiæ totum omnino continere quod rerum status, quod processus insinuat, et totum esse oculo majestatis uno momento conspicabile et quod attrivit antiquitas, vel quod intentat æternitas. Nullum in lege æterna aboletur vel mutatur, vel additur capitulum, sed nos non causas rerum, sed effectus attendentes, addi putamus quæ ante nescivimus : deleri vel mutari, quæ quia non intelligimus, aliter provenire videmus quam noster habuerat intellectus. Sed mentis divinæ fixa et immutabilis est ratio, ita disponens corda, sicut movet et tempora.

Cum enim flante aquilone in hieme et effrenata in campo aeris gelidorum flatuum violentia necesse sit humentia quæque, ubi nimii impetus fervor non cohibet, astringi in glaciem, cum tamen necesse non sit ventorum intumescere rabiem, ita necesse cuique causæ suam attribui efficientiam, cum tamen necessitas non urgeat. Nihil punit, nisi quod vetat justitia, a cujus æquitate alienum est ut sit vindex actionis quam quasi necessitate extorqueat. Sed præcedit prohibitio, ne ignorans vel errans homo offendat, quam utique si contempserit ex ipsius justitiæ necessitate pœnæ succumbit. Sane quidquid evitari potest, constat necessarium nullatenus esse. Ideoque nec per providentiam premitur, aut violenter attrahitur quidquid rationis arbitrio evitandum exponitur, nec judicio divino necessitas, sed voluntas punitur, nisi forte illa necessitas fuerit, quam sibi mala consuetudo fecerit, et obstinati animi excæcata malignitas Spiritus S. in ipsis crepundiis adhuc vagientem mundum jam arguebat de judicio, quia damnato principi se tradiderat condemnandum, non quod ille judex sit eorum qui peccant, sed quod ipse, et qui ei, deserto Deo in malo communicant justissimo judice Deo ejecti de paradiso voluptatis, id est a gloria Dei in tenebris cohabitent, et in flammis coardeant. In dejectione illa quando miser simul ac intimuit ruit, nihil de tormento ejus, pauca vero de indignitate Scriptura prophetica commemorat, sed de ruina et ruinæ causa odibili Deo superbia tam Ezechiel quam Isaias pauca obscure perstringunt. Genesis aliquid amplius sub serpentis figura, vel nomine legentibus intimat, et a mundi principio maledictionis sententiam usque ad ultimum judicium in fine sæculi infinita connexione orditur. Ibi nec incentor erit, nec carnifex, quia tantum sibi vacabit, si tamen dici debet vacatio, ubi miser in gehennalis abyssi voragine clausus et vinctus in igne ardebit æterno. Tunc nec Dominus aeris, nec rector mundi, nec princeps erit, sed infinitæ et inenarrabilis miseriæ irrevocabilis inquilinus: Interim maledictus inter omnes bestias terræ et omnia animantia, super pectus suum gradi et terram comedere omnibus diebus vitæ suæ vel permittitur, vel mandatur. Unde Ambrosius in libro De paradiso, non dixit : Facio te supra pectus tuum vel ventrem ambulare, et terram comedere, sed *ambulabis*, inquit, *et manducabis* (*Gen.* III), ut prædixisse magis cum futura sunt videretur, quam præscisse quid faceret. *Maledictus*, inquit, *inter omnes bestias* (*ibid.*), id est super omnes qui bestialiter et animaliter vivunt, qui possunt fieri aliquando de carnalibus spirituales, et de terrenis cœlestes, et qui aliquando tenebræ erant, si convertantur et revertantur mediante gratia Dei, lux possint effici. Ille autem a spe præcisus, et omnino avulsus a gratia, quia odit et semper persequitur charitatem, sicut in obstinatione odii perseverat, ita super maledictionem, inclementiæ privilegium sibi proprie vindicat, et iræ irremissibilis contra se decretum sancit, et in æternum confirmat. Quod autem super pectus et ventrem suum graditur, illud est, quia in pectore recessus quidam sapientiæ esse dicitur, cujus singulari excellentia cum ille frui possit in contemplatione divina, adversus ab intuitu pacis, totum se contulit ad terrena, et est quasi vita ejus studium indefessum in persuasione peccati. Et in iis quorum Deus venter est, quos Apostolus luget, et inimicos crucis Christi denuntiat (*Philipp.* III), repit, inspirans eis superbiam, accendens in immunditiam, devorans quoscunque sibi sicut terram subjecerit. Qui terrena sapiunt, cibus sunt illius serpentis, hujus viperæ pabulum, et super quos repit, vel pectore premit, ventrem ventri conglutinat, de semine venenato imprægnans, et conformem sibi de corrupta anima sobolem generans. Totum studium ejus est innectere se affectionibus carnalibus, et coagulo turpitudinis menti humanæ injecto, omnes per quas se voluerit, semitas inquinare, ut intus et extra aliquid de illius contagionis conspersione adhæreat, quod postea in alicujus monstri personam erumpat.

Terram, inquit, *manducabis omnibus diebus vitæ tuæ*, quia usque in diem judicii in quo mors damnationis et clausuræ ejus æternæ adveniet, semper ablingit quos commoverit, et sordidas et terrenas animas intra sterquilinium viscerum suorum sepelit et abscondit. De hujusmodi quos per ventrem accepimus, iis videlicet qui gulæ et luxuriæ serviunt,

Digitized by Google

vel de iis qui abusione sapientiæ superbiunt, et conversi ad terrena creaturæ potius quam Creatori obtemperant, helluo impudens voracitatis suæ sentinam ingurgitat, et inexplebili fame, intra pestilentiæ suæ gurgustium saporatas offas de carnibus damnatorum intrudit. Quod autem inimicitiæ statuuntur inter serpentem et mulierem, quasi vir ad hunc conflictum non pertineat, illam arbitror esse causam, quod tentationes diaboli ad eos qui viriliter agunt, non præsumuntur accedere, sed femineis mentibus tentator importunus se ingerit. Neque mens, quæ est quasi Adam, nisi sensu carnis illecto, movetur ad vetitum; sed ad delectationem quam tentator accendit, desiderium carnale suspirat, et concupiscentiæ mole oppressum, reluctantem mentem et repugnantem rationem, assiduæ colluctationis importunitate captivat. Ideoque inter carnem et mentem futuræ inimicitiæ prædicantur, quia futurum erat per *Verbum* Dei, quod *caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I), ut fructificaret aliquando crucifixa pœnitentium caro, et de semine obedientiæ virtutum segetes crescerent, et carnis continentia de adversatrice concupiscentia triumpharet. Unde illud est, quod *regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI): quia mulier, hoc est sensus carnis, mariti, id est rationis adjuta consiliis serpenti resistit et semini ejus, id est odit ut inimicum, et abigit quidquid sanæ doctrinæ adversatur, et honestatem vitæ commaculat. Violenter mala consuetudo carnis, cum ipsa ad virum conversa fuerit, dominante ratione præciditur, et quasi alterius crucis vexillum figatur, in medio jugi conflictu seipsam caro superat, imo victor spiritus armata sollicitudine petulantiam carnis dictante Deo pia oppressione affligit et domat. Hanc vim regnum Dei non dedignatur pati, nec abjicit latronem cum confitetur, nec apostolorum principem cum amare flens verbi Domini recordatur, nec excludit peccatricis illius unctionem et fletum, cujus horrebat Simon ille leprosus aspectum vel tactum. Semen diaboli est schisma, et hæresis, et avaritia, servitus idolorum, omnisque incontinentia et impietas, omniumque vitiorum abominanda collectio. Semen mulieris, ut diximus, ad virum conversæ, et potestati rationis jam subditæ est, quidquid boni parturit castitas, quidquid jejunii labor, quidquid sudor martyrii, quidquid ex amplexu diversarum passionum fecundissima concipit charitas. Veteres inimicitiæ ab antiquo inter has emersere familias, nec unquam defuit æmula virtutis invidia: Semper persecuta est humilitatem superbia, et sapientiæ vel justitiæ contraria opposuerunt signa nequitia et malitia.

Verum caput serpentis nobis adhuc in carne constitutis victoria in cruce Domini nostri prosternitur, et sub pedibus nostris jam a pectore et ventre excussus, ipso donante, ligatus conteritur. Vel quod crucifixo oblatum est et neglectum, omnia diaboli tentamenta contemptibilia effecit, et repulsus amaritudinis haustus sitim peccati, quod fellei saporis est, intimavit a membris ejus facile reprimendam: imo ejusdem sanguinis calice hausto, penitus exstinguendam. *Quod infirmum Dei est, fortius est* (*I Cor.* I), non dico *hominibus*, sed dæmonibus. Et hujus carnalis vitæ nostræ infirmitas, de malignis spiritus triumphat, expuens in libidines, et abominans voluptates. Hæc, ut Christum lucrifaciat, Apostolus ut stercora reputat (*Philipp.* III), et victrix sui ipsius sanctorum patientia calcat. Ecce a mulieribus et parvulis caput conteritur tentatoris, quia omnis fœditatis accessus illico prohibetur, et totius spurcitiæ a sanctorum cordibus statim eliminatur audacia. Cognoscitur adulter, et ad lupanaria sua indigne repellitur, nulla sanctorum conventus fœditatis cujuslibet admittunt vestigia. Excutit ab omni munere mundas manus pura justitia, nec se venalem exhibet judicem, qui ut judex fieret, non pretio, sed gratis accepit. Pretium canis, et merces meretricis, ne inferantur in templum, divina lex prohibet, quia oppressores pauperum, et innocentium oblatratores, et qui corrumpunt et polluunt veritatem, ex illius quæstus sanguine recte non immolant, et arbitrantes quæstum esse pietatem, legem ostendunt, et adversus eos in conspectu Dei veritas et pietas ex eorum ministerio se clamant contumeliam pati. Caput avaritiæ primus pastor Ecclesiæ contrivit viriliter, pecuniam Simonis cum ipso in perditionem excutiens. Caput gulæ præcidit Paulus castigans corpus suum, et redigens in servitutem (*I Cor.* IX). Nihilominus et omnium fere hæresum idem capita amputavit, in Romanis superbiam et seditionem compescens. In prima ad Corinthios Epistola, quod ad sectam legis Judaicæ induci tam cito potuerunt et converti, et quod erant in eis personarum acceptio et schismata arguit et objurgat. Sed et fornicationis caput in spiritu vehementi ibidem conterit, tradens Satanæ in interitum carnis eum qui uxorem patris sui publice detinebat. De regula quoque conjugii et castitatis, de auctoritate apostolatus, de prostratis in deserto fornicatoribus, et murmuratoribus et idololatris multa ibi proponit et discutit, in quibus et elisum et elidendum caput maligni ostendit. In secunda quoque ad eosdem Epistola, non esse consensum Christi cum idolis, nec participationem justitiæ cum iniquitate, nec Christum et Belial posse convenire, malignum de medio removens apertissime distinguit. Galatas insensatos et fascinatos a pseudoprophetis, et ad cæremonias legis conversos increpat et revocat, e illius seductionis caput confringit. Ephesios in ordine statuit, docens viris mulieres subjici, maritos uxores ut corpus suum in honestate complecti, filios parentibus obedire et honorare, patres ad filios mansuetos esse, servos obsequi, dominos non inflari, et astringens eos in unitatem spiritus in vinculo pacis, inobedientiæ malum a radice exstirpat. Totum corpus Epistolarum tonitruum est, et singulæ fere

Digitized by Google

sententiæ sunt quasi fulmina carbones vastatores A spargentia, a quorum luce vel flammis caput hostis illius veterani, fidei Christianæ virtute exuritur. Occurrit Joseph, occurrit Susanna, ille puer, hæc mulier delicata, uterque hujus monstri caput horrendum quanta virtute contriverit, sacræ non silent Historiæ. Impossibile est enumerare per singula, quantas de hoc capite nequam sancti celebrarunt victorias, quoties cerebro ejus victrices manus immerserint, quot virgines, quot viduæ in primo introitu exsufflaverint irrepentem, qui quia in congressu non proficit, et ubi manifeste agnoscitur, illico vincitur, tendit insidias, et, si aliquis torpor irrepserit sanctitati et aliquo modo rigor justitiæ fatigetur et langueat, sedulus præstolatur. Quod si sorte ex aliquo neglectu rubigo occupans armis virtutum adhæserit, si ex aliquo justitiæ pruritu scabies religionis pellem obduxerit; illico ad tinearum crustas in quibus aliquid suum agnoscit, paratus illabitur, et defluentem saniem ablingit et glutit. Vere appetitus laudis et humanæ gloriæ scabies est virtutis, tinea sanctitatis, quod ultimum malum sæpe expugnatus hostis in fine exspectat. Cum enim gloria nostra sit bonæ testimonium conscientiæ, sæpe fit ut victores vincamur, dum de ipsa victoria in nobis, non in Domino gloriamur. Et sicut est ex virtute securitas, ita sæpe ex securitate virtus dissolvitur, et infirmato calcaneo nec recte itur, nec languente pede ultra inimica potestas conteritur. In primis audacter congreditur, deinde repulsus Satan insidiatur novissimis, quia tota humanæ militiæ gloria ex ultimis commendatur agonibus. Et cum multi currant in stadio, qui non lassatur in cursu, nec deficit, solus ille bravium accipit. Certantes legitime promerentur coronam, et perseverantes in finem a linguæ aculeo, et laqueo caudæ incolumes et illæsi evadunt. Ille tamen maledictus terram comedit omnibus diebus vitæ suæ ante judicium, quia amatores mundi a ruina voluptatum distensos et turgidos rictu patulo absorbet et devorat, et omnem domum in cujus postibus sanguis agni non emicat, intrepidus invadit, omneque primogenitum ejus interficit indefessus. Restat quippe maledictionis hujus evidentior in fine perfectio, cum pro hac nocendi aviditate et continuo studio dehiscenti bus inferis, intra chaos illud gehennale miser ille claudetur, et in illa tormentorum abysso, in tenebrosis fetoribus, horrendis ardoribus, quorum immanitas omnem superat intellectum, sine fine mergetur.

Sequitur ex ordine justitiæ mulier quæ suggestioni acquievit, debitaque pœna redditur voluptati, et quæ libertatem suam excusso a se Creatoris dominio superbe ambierat, sub viri constituitur servitute. Nec absque nutu divino esse quisquam æstimet, quod usque hodie in genere humano servorum perseverat nomen et genus, cum hoc originalis meruerit transgressio, et a primis patribus hujus conditionis emanarit ratio. Videat homo nobilitatem divinam, genus cœleste, honorem regium, potentiæ gloriam, æternitatis vitam, sanctitatis imaginem, et recordetur quid fuerit, et ex jugo quod vicissim trahunt, invicem erubescant, quia hanc oppressionis ignominiam culpa meruit, non natura. Quod enim servi, quod degeneres sunt, et inglorii, et ignobiles: quod peccatores, quod mortales, illius effecit fermenti conspersio, et quidquid ex Adam est, illa una occupavit infectio. Multiplicantur ærumnæ, et in dolore mater misera parturit, et multiplicatio conceptuum cum angustia exiens, parturientis viscera fere dirumpit. Hæc in carne, hæc in spiritu fiunt, quia cum rationis vel Scripturarum semina doctrinæ studio vel intellectus, quasi viro infundente, anima subjecta susceperit, per B multas tribulationes et dolores parturiens anxiatur, et vix obtinet, ut victa mala consuetudine in bonum opus assuescat. *Quicunque* enim *volunt in Christo pie vivere, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III), et torquentur interius lege membrorum, perurgentibus concupiscentiis, donec longo usu inanescat forma hujus mundi, et phantasmata vanitatum dispareant, et sic demum, remotis illecebrarum obstaculis, Christus formetur in nobis. Utrobique calamitas, utriusque puerperia naturæ comitantur suspiria, quia et caro et spiritus captivantibus delectationibus statim cum usura reddunt tributum, et instat concupiscentia avellens petulantiæ germina cum tormento. Multiplicantur conceptus C urgente lascivia, et quia non agnoscitur peccatum in immunditiæ contumelia, sentitur in pœna, et concussis muliebribus uteri, cum ruptis intrinsecus naturalibus vinculis profluunt secundinæ, vagiente fetu vere miseriæ tractatur negotium, cum hærenti parvulo obstetricantium tremula manus occurrit.

Hora illius angustiæ satis indicat quæ sit illa causa quæ in tales erumpit effectus: et quia omnino dulcedo illa venenata est quæ tantæ amaritudinis torrentem effundit, allicitur caro ad libidinosos complexus quorumdam prurientium irritata vaporibus, et, cum ejus sensum quædam mendacia blandimenta demulceant, captivum sequitur appetitum; cumque se intra fæces concupitas immerD serit, tunc demum quis sit illarum deliciarum sapor ex illius satietatis dulcedine intelligit. Hoc doloris privilegium prima mater reliquis matribus dereliquit, et nulla omnino in tota naturæ hujus successione excipitur, excepta illa quæ sola concepit de Spiritu sancto Virgo, et maritalis ignara consortii, penitus aliena fuit ab hujus conscriptionis chirographo. In cujus formam, si per humilitatis, et obedientiæ disciplinam Eva Spiritui sancto in templo cordis sui thalamum adornasset, non deesset gratia, et obumbrante virtute Altissimi, nullus concupiscentiæ æstus dedicatam Deo animam conflagraret. Conciperet quidem de viro suo eo modo quo terra imbribus irrigata fecundissimo proventu arbusta emittit et germina; et sine ulla passione de-

Digitized by Google

siderii tantum ad seminales rationes gremio conjugali uteretur maritus.

Adæ quoque dixit Deus: Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo (*Gen.* III). Propter hominem maledicitur terra, et sterilitate damnatur, et quæ sine ullo labore præposito suo erat omnimodas expositura delicias, modo etiam culta spinas et tribulos prædicitur germinatura, ut etiam ex ipsis punitionibus æruminarum posset miser compungi, et rastris pœnitentiæ fatigatus contribulato spiritu, benignissimo satisfaceret judici, cujus ipsa ultio, doctrina erat provocandæ clementiæ, et flagellum, argumentum. Quia, inquit, rupisti vinculum obedientiæ, tu quoque dissolveris, et in terram ibis, quia terra es. Intellige clementissimum Deum, etiam cum occidit; et vide quia temporales persecutiones ad correctionem proficiunt, et ipsa mors non tam est homini malum quam finis malorum. In dissolutione hujus corruptionis intersecatur peccatum, et quod æstimatur districtio, invenitur remedium. Proponitur inobedientiæ capitulum, et uxoria persuasio præceptioni divinæ præposita, et ex ordine justitiæ secundum meritum, stipendium debitum redditur causæ. Labor supervacuus, sterilitas agriculturæ, genimina degenerantia, et ad cumulum defunctio intimatur. Habet etiam exprobrationis pondus originalis materiæ commemoratio, quod eum de terra sumptum, et terram esse, et in terram reversurum, tanta distinctione diligentia judicis insinuat, ut confusa illius temeritatis audacia intelligeret ex infirmitate naturæ suæ quia secundum originis suæ rationem, nec gloria, nec stabilitas sibi inerat, et totius excellentiæ honor, nec ex merito, nec ex natura, sed ex sola gratia procedunt. Ex his verbis imo ex ipsa animadversionis experientia didicit homo, non in se, sed in Domino gloriari, et humiliata est cervix erecta, cui impositum est pro regula libertatis, vinculum servitutis. Grave onus visum est mulieri ferre pondus præcepti, et quasi pressura ingens, auctoritas imminens; sed ubi peccati jugum subiit, et impiam tyrannicæ virtutis experta est dominationem, sentiens quid interesset inter jugum suave et grave, cum regredi non posset ad statum de quo corruerat, amarissimæ salivæ deglutivit rancorem, et corrosit intra se emergentis contumeliæ massam. Intumescebat fermentatæ naturæ conspersio, et primitivi azymi sinceritas ebulliente putredinis acredine rumpebatur, et quasi conviciabantur miseræ animæ titillationes illusoriæ, et exprobrabat ei propriæ virtutis confidentiam sensualitas importuna. Nulla supererat tergiversatio, ubi ingens verecundia omnes responsionis concluserat vias, et conclamabant etiam ipsa vitia adversus ægrum, non imponentia suum languorem naturæ, sed superbiæ, de cujus radice omnium cogitationum germina pullularunt. Ex illo uno utero egressa sunt collactentia omnia vitia, adversum quæ judicium Dei ita est justum et evidens ut ipse concupiscentiæ motus proprios detestentur, et flagitiorum consummatio propriæ voluptatis abominetur et horreat passionem. Denique ipsa confusio, et verecundia quæ semper turpitudinum castra sequuntur, quasi crudelissimi carnifices conscientiæ, lacessunt et improperant peccatori, et instant quasi quædam Eumenides, agitatrices furiæ, reprehensionis stimulos cordi saucio affigentes. Ipsa se malitia præjudicat et punit, et contrariis armis in sui defensione utitur veritas. Expellitur a deliciis transgressor, et miser laboribus deputatur, vestitusque pelliciis tunicis, et pro divinitatis amictu morticiniorum spoliis involutus, in illius plaudamenti gestamine intelligebat pellem suam pelli belluinæ consimilem, imo, ut ipsam rem exprimam, amplioris et abjectioris miseriæ, cujus infirmitas ardoris et algoris impatiens alieno beneficio foveretur. Imo pellibus nudo corpori superductis homo bestia videbatur, et omnino convenientissime aptatum est extra corporibus, quod intus erat in moribus.

Agebat homo irrationabilem personam comparatus jumentis insipientibus, et brutæ mentis imperitiam in illa cruda et hispida supellectile exprimebat. Homo de terra terrenus, jam pronus ad infima in limo de quo sumptus erat figebat intuitum, et sarcina corruptionis oppressus curvas scapulas sessori peccato præbebat, servus ventris, cliens libidinis, vanitatis mancipium, et vernula vitiorum. Exposuerat animam suam quasi incudem malleatorum ictibus, et in illa fabricarum artifex concupiscentia omnium transgressionum formabat simulacra. Iræ et invidiæ et omnium blasphemiarum idola illius officinæ eructabat incendium, et plebescebant monstra tentationum assidentia cogitationibus, quorum multitudine fatigata ratio gravabatur. Deseruerat quippe Deus animam, et ad seipsam conversa turbabatur: et hæc prima mors hominis fuit, cum Creatoris sui custodia caruit, et a contumacia prævaricatoris ingratitudinem ejus exsecrans indignans abscessit. Privavit eum statim gloria et honore, et vitam, id est cognitionis suæ lumen, in eo exstinxit et excæcata anima, cum veritatem amisit, simul cum illo beatifico visu, et reliquas beatitudinis species pariter exhalavit. Recedente Deo nihil boni superfuit, et nisi eo revertente data indulgentia et gratia, ad abjectam et contemptibilem animam illuminationis abolitæ claritas non redit. Nec tamen imago vel similitudo auctoris etiam moriente anima per peccatum omnino deletur, sed dum patientia Dei ad pœnitentiam delinquentes spectat, potest lavari per pœnitentiam quidquid in eadem imagine per negligentiam fuerit obscuratum. Reformatur igitur et restituitur qui resurgit a mortuis, et ad indulgentiæ manumissionem regrediuntur virtutes ad opera destinata: et tunc iterum vivit anima cum videt et odit, et agit quæcunque sibi fuerint divinitus imperata. Cum enim nihil horum agit, mortua est: quia cum vera ejus vita sit Deus, nullus omnino eo absente ad

Digitized by Google

aliquod bonum aspirat affectus. Hæc prima animæ mors, qua deserente eam Deo, ipsa quasi criminum institutis connexa remanet, et sepulta, non omnino a gleba arida, hujus hiemis frigore, spei reliquias eradicat, quia dives in misericordia Deus magna voce quatriduano jam fetido clamat : *Lazare, veni foras* (*Joan.* xi). Infremuit, clamavit et flevit, intimans rationabilibus animis quam sit efficax fletuum pluvia, et pœnitentiæ tremor, et confessionis clamor : quæ supplicatio non repellitur, imo obtinet veniam scelerum, et statim qui resurgit, ubi solvitur, convescitur. Nullus superest fetor, nullum putredinis vestigium manet in eo quem de stercore erigit Deus, sed cum principibus populi sui, sanctis angelis dico, donat suscitato consessum, et in solio gloriæ collocatum (*Psal.* cxii), etiam ad proprium eum admittit convivium. Indignetur Novatus, irascatur Pharisæus, summa est commendatio charitatis, consummata omnipotentiæ gloria, bonitas, et clementia, et nihil amplius decet sanctum quam pietas; nec in aliquo honorabilius est præconium Redemptoris, quam cum, eo miserante, convalescit et solidatur humana infirmitas. Tremendus quidem est rigor divinæ justitiæ, et formidabilis districtio judicis, reverenda omnino severitas, et judicium punientis; sed misericordia lenitate est amabilis, et ex gratia prædicabilis. Ubi enim contra merita bonum pro malo redditur, benignitatis superabundantia prædicatur, de cujus plenitudine, nostra ariditas irrigatur. Non est satis sancto Spiritui esse cum sanctis, etiam impios sanctificat, nec improperat, et spirat, et replet, et docet, et ungit, et urit, et publicanos et meretrices reformat et imbuit. Illa amplius admirabilis est potentia quæ elisa restituit, et fracta restaurat, quam quæ vasa integra in thesauris munitis aggregat et conservat. Et quidem mortuos in anima per culpam, pœnitentia reducit ad vitam : desperationis vero obstinatio pertrahit in gehennam. Illa desperationis mors imaginem omnino delet et radit, et illi injuriæ nullum occurrit remedium, nulla clementiæ stilla se infundit.

Sensit Adam mortem illam primam animæ, consolatione divina privatus, expertus est quoque discessum a corpore animæ rationalis : verum hæc ultima per quam dissoluta est corporalis et spiritualis substantia, labores et ærumnas, et servitutem quam meruerat, et vincula calamitatis totius præscriptæ dirupit; et qui vivens et pœnitens acceperat gratiam soluto quod culpa meruerat pretio, judicium Domino cantavit et misericordiam, in laboribus et contumeliis vitæ temporalis humilitatem et patientiam thesaurizans in fine quantolibet difficili et arcto pro libatione sua suo Domino gratias agens. Pungitur concupiscentiis, laborat et sudat, ac torquetur; de loco voluptatis expellitur, demum emoritur : in iis omnibus, quasi vas figuli in fornace excoctus, et multis rimarum rasuris attrita peccati rubigine ad naturalem fulgorem revertitur. Sic circumductus est per desertum Hebraicus populus, et cum intra paucorum dierum spatium, si recte irent, possent fines promissos attingere, quadraginta annorum sustinuere dispendia, in quibus peregrinationis illius angustias erudiretur illius insolentia multitudinis, ut cum ad diu desideratas et exspectatas promissiones accederet, nec ad Ægyptum, nec ad regna cultu Dei vacantia relapso animo facile suspiraret, a quorum nexibus tanto labore avulsus, vix tandem de male assuetis perfidæ gentis erroribus, quos longo convictu imbiberat, longa dissuetudine triumpharet. Ibi quippe viderant idola, et circa profanos cultus comessationes et impudica cubilia, quibus concupiscibiles animæ captivos affectus subjecerant, et inhæserant abominationibus, quas patrum suorum Abraham, Isaac, et Jacob abhorruerat disciplina. Ideo lex, ideoque plagæ, et verbera; ideo illa hæreditatis dilatione vilesceret facile consecutum ubertatis tantæ et gloriæ regnum : imo diligentissimo sub timore Dei servaretur prospectui tantis exercitationibus et districtionibus conquisita possessio. Quid, quod in cruce se Redemptor noster derelictum exclamat? quid, quod vita moritur, quod judex judicatur, quod rex irrisus, quod princeps suspensus est? Mysticæ sunt et sacramentales injuriæ Salvatoris illæ, et granum illud frumenti cadens in terram et moriens spicas silvescentes multiplici germine onustavit. Omnino sic oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam : et quod titulus crucis Hebraice, Græce et Latine conscriptus incorruptus habebat in omnium gentium salute compleri, quas obedientiæ et humilitati consertas, Christo jubente, latrone præmisso ad regnum crucifixi mater eveheret charitas. Vere prædestinatis omnia cooperantur in bonum, et robur et infirmitas proficiunt ad coronam, et status et lapsus coædificant laborantem, quia alterum ex altero et proficit, et temperatur, dum ex consideratione infirmitatis descendit, nec inflatur securitas sanctitatis, et ex puritatis respectu erubescens dissolutio convalescit. Unde in libro quarto decimo De civitate Dei, sanctus Augustinus sic infert : « Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam placendo ceciderunt. » Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Utiliter sæpe deserimur, et dum corripimur, emendamur; dum flagellamur, amamur. *Ad tempus*, inquit Isaias, imo per Isaiam Deus, *derelinquam te, et in miserationibus magnis congregabo te* (*Isa.* liv). Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur, quia voluptas et luctus, non bene cohabitant, nec deliciæ et religio ad invicem complectuntur. Et tamen ante paradisum satisfacturus statuitur, ut sæpe videns unde exierat, et intuens quis fuerat et quis esset, humiliato animo exsecraretur superbiam, et experiretur post contumelias afflictionum quantum esset subjectionis et obedientiæ bonum, per quam etiam lapsus et repulsus reditus et restitu-

Digitized by Google

tionis suæ non desperaret proventum. Videbat, vel potius intelligebat quid illius gladii quem cherubim vibrant, motus ille versatilis intimaret, de quo quia A pauca superius, et tamen prudenti lectori sufficientia exposuimus, idem repetere laboris esse inutilis arbitrati sumus.